

UC-NRLF
B 3 351 173


SIGILLVM · VNIVERSITATIS · CALIFORNIENSIS
FIAT LVX
MDCCCLXVIII
EX LIBRIS

JOHANNIS SARESBERIENSIS ENTHETICUS

DE

DOGMATE PHILOSOPHORUM

NUNC PRIMUM EDITUS

ET COMMENTARIIS INSTRUCTUS

A

CHRISTIANO PETERSEN,

IN GYMNASIO HAMBURGENSIUM ACADEMICO PHILOL. CLASS.
PROF. PUBL. O.

HAMBURGI

APUD I. A. MEISSNERUM

184[illegible]


O·J
INTER·FOLIA·FRVCTVS

JOHANNIS SARESBERIENSIS ENTHETICUS

DE

DOGMATE PHILOSOPHORUM

NUNC PRIMUM EDITUS

ET COMMENTARIIS INSTRUCTUS

A

CHRISTIANO PETERSEN,

IN GYMNASIO HAMBURGENSIUM ACADEMICO PHILOL. CLASS. PROF. PUBL. O.

HAMBURGI

APUD J. A. MEISSNERUM.

1843.

PROŒMIUM.

Maximi momenti est ad carmen nostrum accurate interpretandum constituere, quo tempore et loco Johannes Parvus Saresberiensis, postea episcopus Carnotensis, illud composuerit. Thomas Becket, cui opusculum dedicavit, testibus rerum Anglicarum auctoribus tantum non omnibus, cancellarii munus suscepit a. 1155 et, sicuti omnes tradunt, archiepiscopus Cantuariensis factus est a. 1161. Carmen nostrum cum non ad *archiepiscopum*, sed ad *cancellarium* missum esse, versus 1295—98 doceant et codicis Londinensis subscriptio affirmet, inter annum 1155 et 1161, Henrico secundo regnante, compositum esse videmus. Non multo postquam Henricus secundus in regno successit, id factum crederes propter versus 1463 et 64:

„*Ebria fortunae donis nova curia rege*
„*Sub puero credit cuncta licere sibi*";

praesertim cum in toto carmine rex Stephanus, Hircani nomine, et qui eo regnante summos magistratus gesserant, saepius exagitentur, quam res Henrico regnante gestae adumbrentur. Henricus vero, cum regnum susciperet, jam annum vicesimum primum natus erat, ut tum vix, minus etiam pluribus annis post puer nuncupari potuisse videatur; quare conjiciat aliquis, regem puerum non esse regem ipsum, sed puerum regium, regis Henrici filium natu maximum, qui etsi infans patris munere interdum fungebatur. John Lingard Gesch. von England II. 5. Deutsch von Salis p. 256. Sed equidem poëtam minus accurate et contemptim de ipso rege loqui potius crediderim. Offerunt sese gravissimae rationes,

quibus adducor, ut libellum non ante annum 1159 scriptum ponam, quod demonstrari non potest, nisi auctoris res accuratius examinentur.

E Gallia, quam saepius visit, anno fere 1149*) in patriam reversus Johannes Theobaldo archiepiscopo et Thomae ejus archidiacono ab epistolis fuit, ab iisque regi commendatus, ab hoc Romam ad Adrianum IV, d. 3. Dec. 1154 pontificem creatum, legatus est missus. In patriam redux partim pontificis, cujus amicitiam sibi conciliaverat, partim regis et cancellarii negotia gessit, id quod epistolae ad eos hoc tempore datae docent. Cum rex ejusque cancellarius a. 1158 in Francogalliam se contulissent ad simultates, quae cum Ludovico VII, rege Francorum, obtinebant, componendas et 1159 in Tolosa oppugnanda occupati essent, Johannes negotiorum taedio affectus (Prol. in lib. VII Policrat.) litteris operam dabat et, animo ad scribendum appulso, Romam ad Adrianum est profectus. Romae enim vel inde divertens in Apulia *Octo libros de Nugis Curialium seu Policraticum* absolvit. In carmine quidem, quod Euthetici nomine his libris praemittitur, ipsum opus alloquens e Cantia i. e. Londino, cuius pars meridionalis cum archiepiscopi aedibus in Cantia est sita, vel e Cantuaria, consueta archiepiscopi sede, ejus originem repetit hoc versu:

„*Cantia te felix genuit, te Cantia fovit;*“

sed ibi illud conceptum modo et inchoatum vel materiam scribendi esse collectam, Romae vero vel Beneventi in Apulia absolutum, ipse (l. VI. c. 24) satis manifeste docet. Libro enim VIII c. 23, de Adriani papae rebus narrans haec profert: „Et ut verbis ejus utar, nihil enim, *cum praesens sum,* sui gratia vult apud se absconditum esse ab oculis meis.“ In curia autem regia, rege et cancellario absentibus, opus esse susceptum, alii docent loci. In Prologo totius operis Thomam cancellarium alloquens, „Omnia vero, inquit, tuo reservantur examini, ut tibi major et justior corrigendi, quam mihi scribendi gloria debeatur. Inaequalitas autem voluminum variis

*) De temporum ratione cf. Comm. in v. 23—164.

est occupationibus adscribenda, quibus in curia sic detractus [l. distractus] sum, ut vix aliquid scribere quandoque licuerit. Dum tamen Tolosam cingitis, ista aggressus sum et me curialibus nugis paulisper ademi, illud volvens in animo, quia otium sine litteris mors est et vivi hominis sepultura.“ Sex priores libros Londini in curialium aula vel Cantuariae esse exaratos, etiam e libri septimi prologo collegerim comparato cum libri sexti capite decimo octavo, ubi Henrici secundi res gestas et mores refert. In Italia vero saltem posteriores duos esse compositos totumque opus absolutum videmus non diu ante mortem Adriani, qui Calendis Septembr. anni 1159 diem supremum obiit, quamquam priores etiam libros ibi recensitos et suppletos esse, illa de Adriano narratio docet lib. VI. cap. 24 exhibita. Morabatur Johannes Romae etiam post mortem Adriani, cum novo pontifici creando comitia habebantur, de quibus retulit Epist. 59. (In Maxim. Bibl. Patrum Vol. XXIII. p. 424). Creantes cum in diversas partes discederent, alteri Victorem, alteri Alexandrum elegissent, Johannes a partibus Alexandri stabat, a quo legatus in Angliam missus est, (ep. 42) ubi causam ejus ageret. Sed priusquam Romae res hoc modo perturbarentur, Johannes Policraticum ad Petrum Cellensem amicum miserat cum epistola, quae (in collectione octogesima prima) tam hilari animo scripta est, ut eam ante turbas illas missam agnoscamus. Editum esse librum antequam regis excitasset iram, eadem haec Ep. 81 docet; in Italia quoque lectum esse non multo post, ostendit Epistola Petri Blesensis 22 in Max. Bibl. Patrum Vol. XXIV. p. 953, Johanne exulante scripta.

Jam nobis occurrunt litterae, quibus Alexandri III causam defendit, aliae, quibus de rebus ejus auctoritate gestis ipsi refert, aliae denique, quibus se mandato ejus persequendo iram regis concitasse queritur. Famam huius irae primus nuntiat Petrus Cellensis Epp. lib. IV. ep. 4. (Max. Bibl. Patr. XXIII. p. 858): „Summi quidam viri cuidam de curia, qui apud nos est, insusurrerunt, te de curia dixisse quaedam in-

honesta et te falsum legatum domini papae in his partibus gessisse.“ Illi rescribit eodem fere, ut videtur, tempore ep. 115: „Postquam ab ecclesia Romana reversus sum, tantas acerbitatis suae molestias in me fortuna congessit, ut fere nihil adversitatis existimem meam animam praetulisse. Miramini forsitan et obstupescitis, quid me tantopere potuerit perturbare. Haec in aure vestra paucis aperiam. Serenissimi Domini, potentissimi domini regis, invictissimi principis nostri tota in me incanduit indignatio. Si causam quaeritis, ei forte plus justo favi.“ Causam irae vel auctorem Alexandro nuntiat Ep. 108: „Episcopo Lexoviensi, cum Excellentiae vestrae visum fuerit, gratiam rependetis pro eo, quod in me servum vestrum serenissimi domini regis tantam conflavit indignationem, ut morari in Anglia mihi tutum non sit, et exire aut impossibile sit, aut difficillimum.“ (Cf. Ep. 121. p. 448). Ep. 115 Petro Cellensi nuntiaverat: „Infra Calendas Januarias (a. 1160) me opinor ab Anglia exiturum,“ sed eidem post Calendas Januarias scribit Ep. 96, se Angliam non reliquisse sperantem fore, ut in gratiam regis restitueretur, intervenientibus Theobaldo archiepiscopo et Thoma, ad quem de hac re scripserat epistolam in collectione centesimam decimam tertiam Max. Bibl. Patr. XXIII p. 446, (emendatius editam apud Bouquet, Recueil des Historiens des Gaules et de la France, XVI. p. 495, ubi etiam paginis antecedentibus epistolae ad Alexandrum, sequentibus illae ad Petrum Cellensem missae leguntur) cui etiam per Johannem Ernulfum rem suam commendaverat. Cf. Ep. 112.

Johannem nostrum alicubi refugium sibi parasse, ubi litteras coleret, ejus *Metalogicus* docet hoc ipso tempore scriptus. Ultimo enim libri quarti capite refert, pacem inter reges Angliae et Franciae nondum esse compositam, cum librum finiret. Pax, cujus conditiones exstant apud Bouquet XVI p. 21, post Tolosae obsidionem mense Maio a. 1160 est composita. Absolutus igitur est Metalogicus initio hujus anni, ut ipse Johannes refert sub finem operis, Theobaldo jam aegrotante, qui mortuus est a. 1161. Scripsit quartum librum Johannes inter ipsa

negotia ab archiepiscopo sibi injuncta, ut in eius Prologo exstat, opere aliquamdiu interrupto, quod susceperat ad studia intermissa reversus, quorum monumentum luculentissimum ipse est hic Metalogicus. Ubi tres priores libri sint scripti, si constituere contigerit, de philosophiae scholasticae historia quaestio erit soluta alicuius momenti. Nondum exploratum est, ubi docuerit ille *Cornificius*, quem Johannes hoc opere impugnat. Ne de Tennemanno dicam, qui Johannis nostri testimonia ad nonum seculum et decimum trahit, Bulaeus (Hist. Univers. Paris. Vol. I. p. 511 seq. II. p. 142 seq.) et Pastoret (de Johanne nostro Hist. litt. de la Fr. XIV. p. 113) omnia, quae de Cornificio pseudonymo traduntur in Metalogico, ad Parisios trahunt, Wood contra (Hist. Univ. Oxon. ad a. 1145.) Gallus Anglusve ille fuerit, dicere haud ausus est. Dubium esse non potest, Metalogicum in frequenti quadam et celeberrima schola esse elaboratum, ut hoc tantum non satis certum videatur, utrum Parisiis, an Oxoniae factus sit. Perpendentibus nobis, auctorem illo tempore in Anglia remansisse, fere pro certo habere possumus, Johannem Saresberiensem plurimum temporis, cum regi primum ingratus esset, priusquam Cantuariam se recepisset, Oxoniae degisse ibique cum magistris et scholaribus disputationes illas habuisse, de quibus ipse in Prologo operis refert. Disputationes in rixas, rixae in simultates transiebant, professores et scholares persequebantur adversarium, qui hoc ipso opere eos redarguere studuit. Tantus est professorum et magistrorum numerus, tanta scholarium frequentia, ut de vulgari monasterii cujusdam schola cogitare non liceat. Oxoniae vero res gestas esse, statuere ipsum professorum nomen suadet alibi fere incognitum: Parisiis enim magistri, Bononiae doctores vulgo, qui docebant, appellabantur, Johannes vero noster professorum nomine de praeceptoribus illis saepius utitur et Joh. etiam Pitseus (Relationum histor. de rebus Anglic. p. 211) in Roberti Pulleinii Vita Oxoniae professores a magistris distinguit. *) Accedit quod

*) Ne tamen nimium tribuas huic argumento monendum, professo-

noster magistri ea aetate Parisiis principis, Petri Lombardi, ne verbo quidem mentionem facit et non multo post litterarum conditionem, quae Parisiis obtinebat, summis laudibus effert in epistola ad Thomam a. 1164 in exilio scripta (Bouquet XVI. p. 505). De Roberto et litteraria Oxoniae conditione postea in commentariis fusius agam, hic sufficiat gravissimum illud argumentum, quod de alia urbe cogitari nequit. Angliam enim auctor non reliquerat, in Anglia vero nulla schola tam frequens et celebris erat praeter Oxoniam. Quo denique vir litterarum amantissimus confugeret, nisi, ubi litteris refugium erat paratum, ubi ipse antea in litteras incubuerat?

Jam ad *Entheticum* nostrum pervenimus, qui et ipse in falsos philosophos invehitur, qui in eodem docentium et discentium turbine versatur, qui eandem denique vanam doctrinam impugnat, quam Metalogicus, quamquam Entheticus rerum conditionem magis in universum vituperat, simul ad prius tempus magis respicit, quam certam praesentis temporis personam persequitur, ut non difficile sit cognitu, eum eodem loco, eodem statu, sed paulo ante Metalogicum esse scriptum, quod affirmant versus 1531 et 1532 sicuti vv. 1635 — 1640, qui auctorem nondum Cantuariam redisse, sed ut rediret, jam invitatum ostendunt. Etiam similitudo quaedam Enthetico nostro ntercedit cum Policratico. Eadem rerum publicarum et litterariarum conjunctio, iidem amici, iidem adversarii. Sed magnum etiam est discrimen: illic fere ridendo dicit verum, hic nunc ira incenditur, nunc in lamentationem erumpit, illic universa rerum conditionem adumbrat, hic Angliae statum respicit, regem, quem illic summis laudibus effert, hic tacite tangit et semet ipsum ita amicis destitutum, ita rebus adversis conflictantem inducit, sicuti, cum regis gratia careret, in epistolis queritur.

rum nomen tum etiam in genere de praeceptoribus in usu fuisse. Cf. Petrus Bles. Ep. 140. Max. Bibl. Patrum. Vol. XXIV. p. 1052. Non satis accurate de hac re egit Meiners, Geschichte der Entstehung und Entwickelung der hohen Schulen. Bd. III. p. 227.

Ex hoc ipso rerum statu judicandum, quid causae et consilii habuerit carmen. Scripsisse se profitetur, ut in Policratico et Metalogico, jussu Thomae cancellarii, cui haec tria opera dedicavit. Itaque si temporis conditionem perpendimus, verisimillimum est, Johannem intendisse, ut patronum suum, omni, qua deceret clientem, reverentia et modestia, consolaretur et simul de officio moneret, a nimia tolerantia dehortaretur, ad fortitudinem incitaret, eamque ut potissimum in auctoris causa defendenda ostenderet. Hoc tamen consilium non aperuit, sed significavit potius quam declaravit; e doctrina enim ad hortationem sibi viam munivit et philosophiae fideique Christianae rationes ad temporis sui suamque ipsius conditionem adhibet.

Duae carminis partes distinguendae sunt, quarum prior v. 1—1268 *docet*, posterior a v. 1269 usque ad finem *hortatur;* quod duplex argumentum ipse auctor primo versu indicat:

„*Dogmata discuties veterum fructumque laboris.*"

Consilio carminis exposito incipit a philosophiae abusu et usu describendo v. 1 — 450, deinceps veterum philosophorum dogmata recensens ad fidem Christianam refert suasque ubique sententias inserit v. 451 — 1268. Philosophiae vim et naturam descripturus a misera litterarum tum [Oxoniae] tractatarum ratione eam repetit v. 23—164. De logicorum nugis agitur V. 23 — 134, de sermonis Latini contemtu V. 135 — 164. A grammatice transitum parat ad rhetoricen, tertiam trivii disciplinam, quae quomodo cum philosophiae studio ad Furvi cujusdam et Martiani Capellae exemplum conjungenda sit, v. 165 — 220 adumbratur. Hoc orationis et rationis conjugium debetur gratiae Divinae v. 221—250, quippe quae Fortis Fortunae casum tollit, arbitrium (voluntatem) liberat et ad philosophiam homines consecrat v. 251 — 276. Vera philosophia, summum bonum, si superbiam superavit, verus est Dei amor, neque illa separata a fide Christiana v. 277 — 324. A philosophia repetuntur lex, modus et ordo in disserendo et discendo v. 325 — 374, deinde verae laudis ex ea quaerendae

subjectum vel materies (Deus), species vel forma (veritas), artifex (spiritus sanctus) et finis (amare Deum) ad scripturam sacram referuntur v. 375 — 450.

In veterum philosophorum dogmatis recensendis primo Stoicorum doctrinam tractat v. 451 — 526, deinde Epicureorum v. 527—594, tum, si margini credimus, Peripateticorum v. 595—726, sed versuum sensu accuratius examinato, suam ipsius exponit sententiam, eique opponit dubitationem Academicorum v. 727 — 34, quibus annectitur Zeno Eleates v. 735 — 38. Inducuntur deinde Pythagoras v. 739 — 772, Socrates v. 773 — 806, Anaxagoras v. 807 — 820, Aristoteles v. 821 — 936, Plato v. 937 — 1118, Endymion et Antisthenes, Academici v. 1119 — 1176; agmen claudunt Varro v. 1177 — 1184, Plinius uterque v. 1185 — 86, Musaeus comparatus cum Moyse et Varrone v. 1187 — 1214, Cicero v. 1215 — 56, Seneca et Quinctilianus v. 1257 — 68. Difficile quidem primo obtutu videtur dictu, quid consilii persequatur in hac serie, quem sententiarum teneat nexum; sed singula nobis et diversa comparantibus apparuit, in aliorum dogmatis recensendis suam ab eo explicari sententiam; primo enim v. 451—738 de summis rerum principiis iisdemque finibus bonorum disputat, tum v. 739—936 de animorum origine et cognitionis humanae vi ac natura agit, deinde v. 937 — 1118 quid de rebus naturalibus senserit, ex Platone et Aristotele componit. Apparet, Platonem et Aristotelem ex Johannis sententia ceteris praeferendos, sed neutrum eorum ubique vera assecutum esse, quamquam Plato fidem Christianam fere attigisse videatur; ex fide omnia videri dijudicanda, quod haec non discernat, Academicorum et qui eos secuti sunt, Romanorum scriptorum exemplo, Deo esse relinquendum v. 1119—1268. Ad fidem enim Christianam est refugiendum, quippe quae a bona vita non sit diversa v. 1269—1282, quare bonorum judicio contentum et quamvis a juventute lasciva irrisum, tamen tutum se praedicat favore Thomae cancellarii, qui ipsum ad scribendum compulerit v. 1283—1300. Juventutis, opinor, Oxoniensis

lascivia admonet auctorem, ut causam vitiorum repetat a rege Hircano i. e. Stephano pravis moribus insigni v. 1301 — 54. Huic tyranno opponit Thomam cancellarium, libertatis vindicem, quem et pugnantem inducit contra Mandrogerum, prius cancellarium et Antipatrum tunc regis, iustitiarium v. 1355—1414. Utriusque pravi mores fusius describuntur et acerbe perstringuntur cum misera aulae, ecclesiae et judiciorum conditione v. 1415 — 34. Excusato et defenso Thoma cancellario, quod aulicis se similem simularet, ut eorum fiduciam nactus eos corrigere posset v. 1435—84, se vereri confitetur, ne haec simulatio frustretur, et hortatur se, cui et ipsi simulandum sit, ne veri amantissimus garrulitate sua animi sententiam prodeat. Ita etiam cancellario, patrono suo, suadet, ut caveat sibi ipsius auctoris edoctus exemplo, qui garrulitate regis iram movisset, et simul admonet, ut modum teneat simulationis, neve legem Divinam legum civilium tendiculis postponat v. 1485 — 1530. Deinde patronnm valere jubens res adversas, quas patiebatur, inprimis hospitiorum calamitates deplorat. Hospitia sunt illa communia scholarium domicilia, ut suspicatus sum, Oxoniae, quo regis ira ab aula remotus se contulerat. Invehitur in hospitum i. e. magistrorum, qui hospitiis praeerant, avaritiam et perfidiam et pravorum scholarium mores v. 1531—96. Docet deinde, quomodo peregrinus in hospitio inter scholares se gerere, quid facere, quid vitare debeat v. 1597 — 1628. Sed ibi non satis tutus de itinere meditans Cantiam, alteram quasi patriam, in claustrum se recipere constituit v. 1629 — 40. Monachorum, qui Cantuariae vivunt, aliorumque clericorum, inprimis, opinor, canonicorum et bonorum et malorum mores depingit v. 1641 — 1752. Adjungit denique varia vitae praecepta et solatia finemque facit carminis libro suo benedicens v. 1753 — 1852.

Diligentem Latinorum poëtarum lectorem fugere non potest, carmen nostrum quodammodo ad Ovidii Tristium Libros et Epistolarum ex Ponto colorem accedere. Non modo idem est metrum similisque verborum volubilitas et versuum facilitas, nexus denique sententiarum solutior, sed inprimis eadem humanitatis

mollitudo, eadem, si non flebilis, tamen lugubris interdum et querebunda species. Sed querelis et luctui admixta est docendi ratio, ut dubites, utrum auctor Ovidii Fastos potius, an elegos sit imitatus. Neque enim enervata est oratio atque fracta, sed gravis et fortis, quamquam fortitudo magis in rebus adversis honeste tolerandis, quam rebus bene gerendis ostenditur. Injuria ad scribendum lacessitus iram concipit et in adversarios asperius invehitur. Acerbissime perstringit non adversariorum tantum, sed omnem temporis sui perversitatem, acriter impugnat et persequitur pravae doctrinae et vitiorum auctores, ut facile Persii atque Juvenalis severitatem et acerbitatem agnoscas, rarius Horatii hilaritati occurras. Versus e poëmatis Persii et Juvenalis depromptos paucis mutatis totos, dimidios etiam immutatos reperies. Neque desunt flores singuli e Virgilio et Lucano decerpti; illius memoriam revocat verborum inversio, huius versuum facilitas. Sermo in universum est purus et ad veterum scriptorum elegantiam concinnatus, rarius mediae aetatis barbarie contaminatus. Quae Johannes noster in rebus grammaticis deliquerit vel tempore suo usitata non emendaverit, ex Policratico et Metalogico enotavit B. Thorlacius in dissertatione inscripta: *„Qualem literarum classicarum cognitionem seculo XIImo Johannes Sarisb. habuerit. In Prolus. et Opusc. Vol. V. p. 82. Havniae 1822.“* Rarius incides in barbarismos et soloecismos in carmine nostro, quod quidem, ut docuimus, veterum poëtarum vestigiis cautius ingreditur. Quod enim de institutis et rebus antiquitati ignotis antiqua usurpat vocabula, quae iis accommodaverat posterior aetas, non est, quod reprehendamus. Ipsius prosodiae leges, quamquam minus a se curari ipse confitetur v. 177, tamen rarius violavit, quam exspectaveris. Graecorum quidem vocabulorum syllabas producit vel corripit pro arbitrio e. g. v. 2. *Philosophia* (v v v v v) ita legendum: - v v - v, v. 11 *Alethia* (v - - -) ita: v v - v; v. 11 *Phronesis* (v - v) ita: v v -, ultima syllaba propter consonantem sequentem juste producta; *Philologia* (v v v v v) v. 176 ita: - v v - v, v. 177, v v - v v.

Rarius hoc modo peccatur in vocibus Latinis ut v. 919. *Hanc, tamen perimunt* – ῡ – ∪∪ –. Ab ictu excusationem habet auctoritete poëtarum aureae aetatis: *carnis est* – –′ –. Saepius littera o in dativis et ablativis secundae declinationis corripitur e. g. v. 366: *philosophando vias* – ∪ ∪ – ∪ ∪ –, v. 602: *Assimulando parit* – ∪ ∪ – ∪ ∪ –, id quod defenditur Juvenalis et argenteae aetatis auctoritate. Cf. Juv. Sat. III, 232 et interprett. ad h. l.

Duo tantum innotuerunt carminis nostri codices, Cantabrigiensis et Londinensis, qui in ipsa carminis inscriptione discrepant; Cantabrigiensis enim inscribitur: *Euteticus*, quod jam diu emendatum est *Eutheticus*, Londinensis: *Enteticus*, quod scribendum *Entheticus*. Illud vocabulum, quo etiam Policratici prooemium significatur, ab *εὐθετέω bene disponere se commendare*, derivandum atque, etiamsi nec in classica nec in mediae aetatis Graecitate reperitur, eum, *qui bene disponere* vel *se commendare, benevolentiam alicujus sibi reconciliare possit* videtur significare. *Entheticus* vero bonae notae est vocabulum, quod vocabulo *λογός* suppleto, *substituens, suppeditans, instruens, insinuans* significat, e. g. Stob. Eclog. Eth. II. 7. p. 42 ed Heeren: *το μὲν ὑπεξαιρετικὸν —, τὸ δὲ τῶν ὑγιῶς ἐχουσῶν [δοξῶν] ἐνθετικόν.*

Utraque notio a carminis nostri argumento non aliena est, quamquam, cum Thomae cancellario potius suadeat et consulat, quam eum sibi reconciliare studeat, *Entheticus* rectius inscribitur, quam *Eutheticus*, quam inscriptionem carmini, quod Policratico praemittur, servaverim. Accedit codicis Londinensis, qui est antiquissimus, auctoritas. Ad ipsius enim auctoris aetatem se pertinere, ipse testatur. Legitur enim principio:

„Hunc librum fecit domnus Symon Abbas Sancto Albano, quem qui ei abstulerit, aut fraudem commiserit, aut titulum deleverit, anathema sit.“

Symonem hunc Sancto Albano Abbatem inter annum 1167 et 1188, nitide scripsisse et codex noster et Matthaeus Parisiensis (Vitae XXIII S. Albani Abbatum) testatur. Paullo infra

haec adscripta sunt: „*Hunc librum venditum domino Ricardo de Biry Episcopo Dunelm. emit Michael Abbas Sancti Albani ab executoribus praedicti Episcopi anno Domini Millesimo CCCmo XLVto circa purificationem Beatae Virginis.**) Codex ille membranaceus forma maxima nunc in Museo Britannico (13. D. IV. fol. 209 recto) servatur inter libros, qui antea bibliothecae Regiae erant. Plura ejusdem auctoris opera eo continentur haec:**)

1) „Johannis Sarisberiensis Polycraticon sive de Nugis Curialium et vestigiis Philosophorum libri 8.
2) Ejusdem Metalogicon sive Logica, Philosophia etc. libri 4.
3) Ejusdem Enteticus sive de philosophorum dogmate liber metricus.“

Carminis nostri initio legitur:

„*Incipit Enteticus ejusdem de dogmate philosophorum.*“

In fine:

„*Explicit Enteticus magistri Johannis de Saresberia de dogmate philosophorum editus ad Thomam Cancellarium postea Cantuariensem Archiepiscopum.*“

Non eadem manu, qua duo priora Johannis nostri opera, hoc carmen scriptum videri, refert vir doctissimus, Thomas Wright, cui codicis collationem debeo, sed et ipsum ante saeculum duodecimum finitum, Thoma Archiepiscopo nondum in Sanctorum tabulas relato. Mirum est, jam illo tempore duas exstitisse carminis recensiones valde inter se diversas. Multis enim locis a manu non ea quidem, cui textum debemus, sed contemporanea in margine suppleti sunt versus et emendata singula verba, quae non in describendo incuria omissa et postea ex eodem exemplari suppleta esse possunt, quia e. g. pro versibus v. 91 — 96, qui in margine exstant, in textu

*) Has notitias conjunctas legimus apud Th. Waston, History of English poetry. London 1824. I, p. CX. 4 VII. n.

**) A catalogue of the manuscripts of the king's library, by David Carley. London 1734. p. 326. 13. D. IV.

leguntur duo alii, qui eundem sensum brevius exprimunt. Lectiones vero marginis aliae sunt correctiones falso scriptorum, aliae emendationes vel ipsius auctoris vel amici, cui carmen emendandum commendaverat, quod a Johanne nostro fieri esse solitum, ipsa opera (Policrat. prol. sub finem et Epistolae e. g. 81) docent. Glossae etiam exstant interlineares et marginales, quae sicuti argumenta sive indices margini adscripti ab ipso auctore profecta esse non possunt, cum sententiarum nexum accurate examinatum non ubique agnoscant. E. g. vv. 375—430 scripturae sacrae subjectum, species, artifex et finis distinguuntur et deinceps tractantur, in argumentis vero forma tantum (species) et finis observantur. Ceterum qui argumenta haec composuit, utpote rerum peritus, auctori videtur aequalis fuisse.

Codex Londinensis plurimos quidem historiae litterariae auctores latuit, quamquam praeter Davidis Carley catalogum, quem dixi, Patricii Junii apographus, qui in nostra bibliotheca servatus mihi editionis ansam dedit, hic illic commemoratur. Illud: *Habent sua fata libelli* maxime ad hoc exemplum pertinet.

Inscribitur apographus noster:

„Entheticus Johannis Saresberiensis de dogmate Philosophorum editus ad Thomam Cancellarium postea Cantuariensem Archiepiscopum. Ex bibliotheia Seren. Britanniarum Regis et apographo Patricii Junii bibliothecarii nunc primum in lucem prodit.“

Pars posterior apographi a versu 211 inde scripta est manu tempus affectante antiquius; priorem partem exaravit, argumenta et correctiones margini adscripsit alia manus, cui etiam inscriptio debetur, quam Zach. Lundii esse, quamquam pro certo habere non possumus, tamen veri est simillimum. Tum antiquior manus, qua posterior pars scripta est, fuit fortasse Patricii Junii, cuius apographum Lündius videtur explevisse et ad editionem parasse. Argumenta margini adscripta paullulum discedunt a codice Londinensi,

carminis vero pars posterior accurate ad eius textum descripta est, sed ubique emendata nunc lectionem textus, nunc correctiones Londinenses, rarius conjecturas exhibet. Prior pars in describendo correcta in margine paucas tantum correctiones easque conjecturas habet. Varias lectiones codicis Londinensis, nisi sunt receptae, etiam in posteriore parte rarius adnotatas reperis.

Patricius Junius (Patrick Young), natus 1584, bibliothecae regiae Londini praerat regnantibus Jacobo I. et Carolo I. et diem supremum obiit 1652. Sive bello civili impeditus sive morte interceptus editionem, quam susceperat, non perfecit. Codex, ut suspicor, pervenit nescio quo modo ad Zachariam Lundium, qui natus 1608 inter annum 1640 et 1646 magnam Europae partem peragravit, quo itinere utrum Angliam pervenerit et ibi librum emerit an qua alia ratione acquisiverit, compertum non habeo. Possessit saltem aut ipsum nostrum librum aut, eius apographum.*) Hic cum fortunarum suarum sedem postea collocasset Havniae, ubi 1667 mortuus est, ejus libri manuscripti magna ex parte post eius mortem pervenerunt ad Johannem Mohtium regi Danorum a consiliis. Johannes Mohtius mortuus est anno 1705, quo etiam libri eius publica

*) Ipsum nostrum codicem Patricii Junii apographum Zachariae Lundii in bonis fuisse, propter temporum consecutionem et inscriptionum consensum suspicor. Restat quidem aliqua dubitatio, cum inscriptio non omnino eadem sit neque paginarum numerus conveniat. Lundii codicem Joh. Moller in Cimbria litterata I. p. 371 ita recenset: „*Joh. Sarisberiensis Entheticus de dogmate et placitis philosophorum hactenus ineditus, e bibliotheca regis Britanniae et apographo Patricii Junii pp.* 83. 4. Sed quae a libri nostri inscriptione recedunt, cum etiam a Joh. Mollero mutata esse possint, nihil probant. Quod ad paginarum numerum attinet, in nostro codice hoc quidem carmen 55 tantum paginas habet, sed cum *Schola Salernitana*, quae illud excipit, plagulis eiusdem fere magnitudinis scripta, 83 vel 82 paginas complet. Accedit in eodem volumine, sed plagulis non eiusdem magnitudinis tertium opus: *Passio Christi Innocentii Hyspani carmine heroico descripta p.* 87 — 102.

auctionis lege divenditi sunt, ubi a Marco Meibomio, qui Havniae erat professor, priusquam Amstelodamum venit, codicem hunc emtum conjicio. Qui cum 1711 obisset, ex ejus libris et ipsis divenditis acquisivit codicem Hamburgensem Z. C. ab Uffenbach, qui in pagina septima, quae inscriptionem continet, sua manu adscripsit: *Ex Bibliotheca Marci Meibomii Ultraj. emi Z. C. ab Uffenbach. vid. Catal. M. Meib.* n. 12. *) Inter Uffenbachii librorum reliquias **) ab heredibus a. 1749 emit etiam hunc codicem J. C. Wolfius, qui eum cum ceteris libris tradidit bibliothecae nostrae publicae. ***) Sed eorum, qui post Patricium Junium librum possederunt, praeter illam Uffenbachii notitiam in ipso libro nemo quidquam adnotavit.

Tantum de codice Londinensi et nostro ejus apographo. Magis et prius innotuit codex Cantabrigiensis, quippe cujus notitia in historiam transiverit. Prima ejus publice mentionem fecit „Ecloga Oxonio-Cantabrigensis. Opera et studio T(h). J(amesii). Londini 1600. 4." Ibi P. I. p. 59. inter libros bibliothecae publicae Academiae Cantabrigiensis N. 122. recensentur:

1) *Joh. Sarisbyry Metalogicon libri 4.*

2) *Euteticus ejusdem de dogmate philosophorum editus ad Thomam Cancellarium, postea Archiepiscopum, versibus elegantibus non minus quam eruditis et doctis.*

3) *Euteticus ejusdem in Polycraticum.*

4) *Libri 8 Polycratici.*

5) *Epistolae quorundam illius aetatis Archiepiscoporum, episcoporum et aliorum.*

6) *Alexander Necham super cantica lib. 6.*

Sed nemo reperitur, qui ad hunc catalogum provocet.

*) *Bibliotheca Uffenbachiana Msta Halae* 1720 fol. P. IV. p. 126.

**) Has reliquias, optimis codicibus divenditis, continet: „Catalogus Manuscriptorum codicum Bibliothecae Uffenbachianae Francof. 1747 8., ubi codex noster p. 25 recensetur.

***) C. Petersen Geschichte der Hamb. Stadtbibl. Hamburg 1838. p. 72.

Ceteris, qui hanc rem curarunt, codicis notitiam suppeditavit Joh. Pitseus, cujus *Relationum historicarum de rebus Anglicis Tomi duo* (Parisiis 1619) p. 248 tria ejusdem nominis opera enumerant: 1) *Eutheticon in Polycraticon, Librum unum, Ms. Cantabrigiae in Bibl. publ.* 2) *Eutheticon carmine de dogmate Philosophorum ad S. Thomam, tum Cancellarium, librum unum:* Dogmata discutiens veterum. *Ms. Cantabrigiae in Bibl. publ.* et 3) *Eutheticon metricum, librum unum:* Si mihi credideris linguam cohibe. *Exstat Parisiis* 1513. *Habeo.* Non est, quod fusius doceam, Eutheticon primum et tertium esse eundem Policratico praemissum, secundum vero nostrum Entheticon. Apparet Pitseum non ipsum accuratius inspexisse *) codices, sed praeter catalogos adhibuisse Joh. Lelandium, qui seculo decimo sexto ineunte opus composuit doctissimum *De Scriptoribus Britannicis,* quod 1709. 8. edidit Oxoniae Ant. Hall. Hic c. 176. p. 208 inter Johannis nostri, quem Severianum nuncupat, libros recenset *Eutheticon ad Thomam Becketum, Angliae Cancellarium,* quem esse nostrum, non illum Policratico praemissum versus docent c. 180 de Odonibus ex utroque carmine allati. Plurimos deinde scriptores, etiam qui Lelandum aut Pitseum aut utrumque alias adhibuerunt, hujus carminis notitia fugit, Balaeum dico (*Illustrium majores Britanniae scriptorum summarium* s. l. 1648), cujus negligentiam Pitseus jure increpat, Phil. Labbeum (*De scriptoribus ecclesiasticis* Par. 1660. 8.), Cas. Oudinum (*Commentarius de scriptoribus ecclesiae antiquis* Lips. 1722 T. II. p. 1808) ceterum accuratissimum, et Joh. Alb. Fabricium (*Bibl. Lat. mediae et infimae Latinitatis.* Hamb. 1733. IX. p. 383), qui Jac. Thomasium secutus judicantem, utrumque carmen a Pitseo male distingui, recte vituperavit, quod a Lelando tria

*) Pitseus in universum accuratus et diligens, in singulis tamen saepe negligentia laborat, e. g. Lelandum secutus, inter Johannis nostri libros recenset *Mythologicon libros II,* quos Metalogicon esse initium, quod attulit, testatur. Errorem hunc repetivit Labbeus de Scriptoribus ecclesiasticis Paris. 1660.

carmina eiusdem nominis distinguuntur, minus recte opinatus est, unum modo fuisse. Pitseum, ut oportuit, intellexit Pastoret, quo nemo copiosius atque diligentius de Johannis Sarisberiensis vita et scriptis egit, in praeclara illa historia Francogalliae litteraria (T. XIV Par. 1817 p. 158), cui dissertationi et nos multa referimus accepta. Codicem Hamburgensem cum reperissem, quid commodi ex hoc carmine et Angliae et philosophiae vel antiquae vel scholasticae caperet historia, intelligens, editionem parare constitui. Sed neque jam hodie editio mea in lucem prodiret, neque eo, quo instructus est ornatu, nisi Lappenbergius, vir de historia Angliae aeque ac Germaniae optime meritus, animum addidisset, opem promisisset et festinationem commendasset, eoque interveniente vir doctissimus et humanissimus de litteris Anglicis et ipse optime meritus, Thomas Wright singulari cum liberalitate codicem Londinensem conferendum obtulisset. Ita factum est, ut recensio mea firmioribus niteretur fundamentis et commentariis ornaretur, qui meam qualemcunque doctrinam excederent. Praeter Londinensem et Cantabrigiensem codicem nullum alium investigare potui; nec Angliae, nec Franco-Galliae manuscriptorum catalogi, quos quidem perlustravi, ullum praebent vestigium. Neque ipsa urbs Carnotum (Chartres) ullum Johannis nostri opus hodie servat; rebus enim in Gallia novatis omnes huius urbis bibliothecae direptae et dissipatae sunt. Auctor ipse huius urbis ultimis vitae annis episcopus ecclesiae cathedrali totam suam bibliothecam donaverat, *) sed inter eius reliquias, quae rursus collectae adhuc asservantur, nullus magni episcopi liber reperitur. **) Codicis Cantabrigiensis collationem parare mihi non potui, sed non est, quod lectionem bonae notae inde exspectemus, siquidem recte conjicimus, Lelandum hoc codice usum esse, qui carmen, ut ille, *Entheticum* inscriptum exhibeat; id quod veri eo similius, quia tertii co-

*) Hist. litt. de la France T. XIV. p. 98.

**) Catalogue des Manuscrits de la bibliothèque de la ville de Chartres. 1840. 8.

dicis nullum exstat vestigium. Neque enim melioris notae esse codicem Cantabrigiensem e versibus deducendum a Lelando allatis, in quibus, quae discrepant, meri sint errores. Accedit quod, Thoma Wright monente, cum lacunae v. 91 — 96 in codice Londinensi ex Cantabrigiensi suppletae sint, nullam videtur praebuisse novam varietatem dignam, quae adnotaretur. Id saltem inde conjicere possumus, in codice Cantabrigiensi exstare recensionem illam pleniorem, ex qua codex Londinensis emendatus et suppletus est, eamque certe non majoris fidei, siquidem inter sex illos versus v. 91 — 96 inde suppletos unus est, qui in utroque codice eandem eamque apertam habet mendam (v. 95). Hos versus e codice Cantabrigiensi suppletos esse post Patricii Junii descriptionem, inde cognovimus, quod Patricius Junius hos versus e conjectura supplevit. Sed haec cum sola conjectura nitantur, Academiae Cantabrigiensis socium impellant, ut codicem accuratius inquirat. Cum quae discrepant in codice Hamburgensi a Londinensi, a Patricio Junio profecta sint oporteat, ideoque pro conjecturis habenda, Londinensem pro fundamento editionis habui. A textu saepius recessi: ubi margo correctionem praebet, interdum lectionis varietatem in margine adnotatam, etiam rarius codicis Hamburgensis discrepantiam praetuli, meam conjecturam semel tantum vel bis recepi. Singula in adnotatione critica et quae majoris momenti sunt, in commentariis exposita leges.

Commentariis uberioribus indigere videbatur carmen tot tantisque difficultatibus laborans. Quas etsi non omnis solvere contigit, tamen nonnihil lucis inde redundabit in Angliae, philosophiae et universitatis Oxoniensis historiam. Quid praeter subsidia mihi suppeditata de rerum Anglicarum cognitione Lappenbergio debeam, suo loco indicavi. Quae de rebus scholasticis imprimis Oxoniensibus eruisse ipse mihi videor, quo pluris facio, eo magis virorum doctorum examini commendo.

Neque tamen nescio multa relinqui aut rectius aut accu-

ratius explicanda horum temporum peritiori. Mihi ut erranti fortasse in illis mediae aetatis tenebris ignoscatur, fore spero. Ceterum non possum non laudare officium, quod mihi probarunt amici Kilienses, quorum Thomsen, theologiae professor, nonnulla e patribus ecclesiae deprompta significavit, et Dr. O. Jahn, nunc professor Gryphiswaldensis, futurus Persii editor, versus ex hoc poeta et Juvenali aut translatos aut ad eorum imitationem expressos mihi indicavit. Etiam L. F. Herbstio Dri., viro familiarissimo et multa consuetudine conjunctissimo, qui in plagulis a typothetae vitiis purgandis me adjuvit, non publice gratias agere non possum.

Novissimum de Johanne nostro scriptum (Johannes von Salisbury. Zur Geschichte der christlichen Wissenschaft im zwölften Jahrhundert. Von Herm. Reuter. Berlin 1842.) hic illic in commentariis attuli, sed non ita pertractare potui, ut fusius disputarem, si descedendum videretur. Commentarii enim mei nunc demum post magnum Hamburgii incendium typis expressi, jam absoluti erant, cum libellus ille ad me perveniret. In quo si auctor carmine a me nunc primum edito jam usus est, confitendum, plagularum, quas Londinum miseram cum codice manuscripto conferendas, aliud exemplum ad amicum esse missum, qui cum auctore illud communicaverit mendis nondum purgatum neque jam commentariis instructum.

SIGLORUM IN ANNOTATIONE CRITICA EXPLICATIO.

L, codex Londinensis; *Lm*, margo codicis Londinensis; *H*, codex Hamburgensis; *Hm*, margo codicis Hamburgensis; *Arg.* argumentum in margine adscriptum; c. conjectura editoris; *Lel*, Lelandi commentarii de script. Brit. c. 180. p. 211.

ENTHETICUS

JOHANNIS SARESBERIENSIS

DE DOGMATE PHILOSOPHORUM.

DOGMATA discuties veterum fructumque laboris,
Quem capit ex studiis Philosophia suis.
Spiritus ille bonus linguam mentemque gubernet,
Qui bona verba docet et pia vota facit;
Dirigat et gressus, operasque secundet et actus,
Ut tibi sit perpes gratia, vita, salus.
Aula novis gaudet, veteres fastidit amicos,
Sola voluptatis causa lucrique placent.
Quis venias? quae causa viae? quo tendis, et unde?
Forsitan inquiret; pauca libelle refer.
Est Alethia soror Phronesis, virtutis origo,
Grata sui specie, semper amica Deo;
Nam deformatur, quotiens extrinsecus illi
Cultus adest, fucos virgo beata fugit;
In se convertunt oculos et corda vicissim,
Et decor unius est utriusque decor,
Et genus et species et opus commune duarum;
Manat ab his vitae regula sancta, modus.

De alethia et phronesi.

Inscriptio repetita est e codice Hamburgensi, Londinensis enim inscribitur: *Incipit Enteticus ejusdem de dogmate philosophorum.* V. 1. discuties L et H, discutiens Lel. V. 6. Sit perpes L et H, sint comites Lm. V. 11. Phronesis et in argumento: phronesi, H, Fronesis et fronesi L. V. 13. Quotiens H, quociens L.

Hae tibi sint comites, curas et verba ministrent,
Teque velint gravibus conciliare viris;
Hae tibi principium, cursum, finemque loquendi
Monstrent, et sermo quis quibus aptus erit.
A trivio tibi dicendi sumetur origo;
Ante tamen videas, quae quibus apta locis.

Quod logica sapientes et discretos facit.

Logica quid valeat, aut cur placeat sapienti,
Dicturus, faciem philosophantis adi.
Qui sequitur sine mente sonum, qui verba capessit,
Non sensum, judex integer esse nequit.
Cum vim verborum dicendi causa ministret,
Haec si nescitur, quid nisi ventus erunt?
Quae bonus auditor pensat de mente loquentis,
Non quovis sensu, quem sibi verba ferunt;
Ut tamen assistat verbis lex recta loquendi,
Qua sine nonp oterunt pondus habere suum!
Aucupium verbi jampridem jussit ab aula
Lex Romana, sed hoc praetor iniquus amat.

De nugacibus mentientibus logicam.

Lis est infelix, nisi forma petatur agendi,
Quam procul arceri, Justitiane, jubes.
Sic nisi complacito pueris sermone loquaris,
Conspuet in faciem garrula turba tuam.
Si sapis auctores, veterum si scripta recenses,
Ut statuas, si quid forte probare velis,
Undique clamabunt: „vetus hic quo tendit asellus?
Cur veterum nobis dicta vel acta refert?
A nobis sapimus, docuit se nostra juventus,
Non recipit veterum dogmata nostra cohors,

V. 25. Arg. Quod logica sapientes etc. H, sapientibus et discretis facit L, faciat H, qui ubique in argumentis cum particula *quod* conjunctivum jungit, ubi in L indicativus legitur. V. 37. Hoc argumentum ex L depromptum in H deest.

Non onus accipimus, ut eorum verba sequamur,
Quos habet auctores Graecia, Roma colit.
Incola sum modici pontis, novus auctor in arte,
Dum prius inventum glorior esse meum;
Quod docuere senes, nec novit amica juventus,
Pectoris inventum juro fuisse mei;
Sedula me juvenum circumdat turba, putatque
Grandia jactantem non nisi vera loqui."
Iste loquax minimumque dicax redolet Melidunum, De Melidunensi.
Creditur Albrico doctior iste suo,
Corrigit errores verbosus hic Abaelardi:
Pellitur a nostro trita moneta foro.
„Temporibus placuere suis veterum bene dicta,
Temporibus nostris jam nova sola placent.
Cum sit ab ingenio totum, non sit tibi curae,
Quid prius addiscas, posteriusve legas."
Haec schola non curat, quid sit modus, ordove quid sit,
Quam teneant doctor discipulusque viam.
„Expedit ergo magis varias confundere linguas,
Quam veterum studiis insipienter agi.
Quos numeros, aut quos casus aut tempora jungant,
Grammatici quaerunt, verba rotunda cavent:
Torquentur studiis, cura torquentur edaci,
Nulla sibi dantur otia, nulla quies.
Infelix labor est, quem commoda nulla sequuntur,
Cui mala dulcescit sors, miser esse cupit.
Qui miser esse cupit, se convincit furiosum,
Sic plane miser est, qui miser esse cupit.

V. 53. circumdat L, circumstat H. V. 55. Minimumque dicax Lm et H, dicaxque parum L. — Melidunum L, Melodunum H. — Arg. ex Lm depromptum in Hm deest. V. 59. Veterum Lm et H, patrum L. V. 64. Dicipulusque L, discipulusve H.

Qui numeros numeris, qui casus casibus aptat,
Tempora temporibus, desipit et miser est.
Magnus enim labor est, compendia nulla sequuntur,
Tempora sic pereunt, totaque vita simul.
Absque labore gravi poteris verbosior esse,
Quam sunt, quos cohibet regula prisca patrum.
Quicquid in os veniet, audacter profer, et adsit
Fastus, habes artem, quae facit esse virum.
Ausibus est fortuna comes; si gratia fastum
Deserit, est nobis gloria grata magis.
Hanc etenim solam nostri super omnia quaerunt;
Gloria si desit, scire quid esse putas?
Garritus dabit hanc omni virtute relicta,
Si garrire potes, gloria certa manet.
Ut garrire queas, noli percurrere libros,
Esto verbosus, scripta repelle procul.
Hos libri impediunt, illos documenta priorum,
Successumque vetat magnus habere labor.
Disputat ignave, qui scripta revolvit et artes;
Nam veterum fautor logicus esse nequit.

V. 76. Desipit et miser est Lm (correctio) et H, hic miser esse cupit L. V. 80. Sunt H, sint L. V. 81. Adsit H, assit L. V. 91 — 96. L hos sex versus in margine exhibet, in textu duos tantum habet istos:

Impedimenta libri sunt et documenta priorum.
Disceptatoris impedimenta puto.

Sed illorum sex versuum litterae primae in codice compingendo sunt praecisae. In L manus posterior eas supplevit e codice Cantabrigiensi, cujus vestigia persecuti sumus versu 95 excepto, qui ita suppletus est: [Disc]eptet in eis, qui etc. quod vix intelligi potest. Aliter hos versus explevit Hm i. e. ut suspicor, Patricius Junius:

[Qu]os libri impediunt, illos documenta priorum.
[Suc]cessumque vetant magnus habere labor.
[Dis]putat ignave, qui scripta revolvit et artes:
[Qui] veterum fautor, logicus esse nequit.
[Bardus, in]eptus, iners, qui dogmata prisca sequetur,
[Cum] patriarcharum bobus habendus erit.

Quae uncinis inclusa sunt, in margine suppleta leguntur; littera f. praemissa, quae *fortasse* i. e. conjecturam videtur

Disceptaturus, qui dogmata prisca sequetur,
In Patriarcharum bobus habendus erit.
Nam quo plura leges, restant tibi plura legenda,
Et quo plura docent, plura docenda docent.
Pauca legas, ut multa scias, tibi maximus auctor
Quilibet occurrat, sic sit in ore tuo,
Ut quicquid dices, auctor dixisse putetur,
Et mens illius spiritus esse tuus.
Non modo credaris, quod scripsit, nosse, sed omne,
Quod voluit, jactes dogmatis esse tui;
Quod scripsit, seu quod tacuit, te posse docere
Promittas; falsum dicere nemo vetat.
Nam quaeruntur opes et constat gloria falso,
Veridicosque facit dicere pauca pudor."
Haec ubi persuasit aliis error puerilis:
Ut juvenis discat plurima, pauca legat,
Laudat Aristotelem solum, spernit Ciceronem
Et quicquid Latiis Graecia capta dedit,
Conspuit in leges, vilescit physica, quaevis
Litera sordescit, logica sola placet.
Non tamen ista placet, ut eam quis scire laboret,
Si quis credatur logicus, hoc satis est.
Insanire putes potius quam philosophari,
Seria sunt etenim cuncta molesta nimis,
Dulcescunt nugae, vultum sapientis abhorrent,
Tormenti genus est saepe videre librum.

significare. V. 95. in textu exstat: *ceptet in eis*, supra lineam in H adscriptum: *ineptus, iners.* Quod et ipsum cum e conjectura scriptum videatur, neque id, quod L exhibet, sensum praebeat, ipse conjectura assecutus sum: *Disceptaturus*, quod ad v. 93 respicit et quodam modo affirmatur altero versu, qui in L legitur. V. 92. vetat c, vetant L et H.
V. 101. dices L, dicas H. V. 110. juvenis Lm (correctio) et H, vivens L. V. 102. Aristotelem H, Aristotilem L.

De Sertorianis.

Ablactans nimium teneros Sertorius olim
Discipulos fertur sic docuisse suos;
Doctor enim juvenum pretio compulsus et aere
Pro magno docuit munere scire nihil.
Haec schola sic juvenes voluit juvenescere semper,
Ut dedignentur nosse vel esse senes.
Et quamvis tueatur eam numerus Garamantum,
Quos audere monet fasque nefasque furor,
Quos gula, quos fastus captos servire coëgit,
Quos transire Venus in sua castra facit,
Tu tamen armatus clypeo virtutis et ense,
Ut rabiem perimas, obvius ibis eis.

De rotundatoribus verbi.

Esse catenatum se credit Sertorianus,
Si jubeas recte vivere, sive loqui.
Hoc onus, ecce jugum, quod vitans nostra juventus
Ad summum currit prosperiore via;
Admittit Soloen, sumit quod Barbarus offert,
Inserit haec verbis, negligit arte loqui.
Hoc ritu linguam comit Normannus, haberi
Dum cupit urbanus, Francigenamque sequi.
Aulicus hoc noster tumidus sermone rotundo
Ridet natalis rustica verba soli.
Sermo rotundus hic est, quem regula nulla coarctat,
Quem gens nulla potest dicere jure suum.
Vilis apud veteres fuerat modus iste loquendi,
Lege bona solitos vivere, lege loqui.

De Hircano.

Sed quia temporibus Hircani floruit olim,
Cui prae lege Dei grata libido fuit,
Qui reges falso nulla sub lege teneri,

V. 123. pretio H, precio L. V. 133. Arg. ex Lm depromptum in Hm deest. V. 135. juventus L, juventa H. V. 143. coarctat H, coartat L.

Et quicquid libuit, credidit esse pium,
Praeplacet hic usus, cui regis gratia major
Affuit, et pretium sermo rotundus habet.
Mandrogerum tali ritu florere videmus, De Mandrogero.
Sub quo nec turpis causa perire potest.
Mandrogeri nugae sapientia summa videntur,
Verbaque Mandrogeri formula juris erunt.
Proficit ergo minus uti sermone Latino,
Quam si contigerit verba rotunda loqui;
Sudandum nimis est, ut lingua Latina sciatur,
Absque labore tibi sermo rotundus erit.
Insistunt studiis, artis suffragia quaerunt,
Quorum subsidiis lingua venusta placet.
Est igitur satius linguas confundere, quam sic
Temporis atque rei damna subire simul.
Haec illi, sed tu quae sint elementa sciendi
Et bene dicendi, sub brevitate refer.
Ingenii natura potens cito possidet omnes Quae conferant sapientiam.
Artes, si fuerit ista sequela comes:
Auditus verbi, librorum lectio, sollers
Cura, quies studiis apta, fidelis amor.
Optat in eloquio si quis praeclarus haberi, Quae eloquentiam.
Indubitanter ei, quod cupit, ista dabunt:
Ingenium pollens, memoris quoque pectoris usus,
Artis opes, vocis organa, sermo frequens.
Si quis ab his titulis et pectore pollet et ore, De Mercurio et Philologia.
Mercurium jungit Philologia tibi.
Nec moveat Maurus ponens *Philologia*, versu
Ponitur interdum syllaba longa brevis,

V. 152. pretium H, precium L. V. 169. sollers L solers H.

Et brevis interdum producitur arte, sed idem
In sermone tamen sensus utrinque manet.
Et cum de sensu constet, pueriliter errat,
Cui longam litem lana caprina facit.
Alterutrum vel utrumque licet proferre, sed insta,
Ut sit Mercurio Philologia comes,
Non quia numinibus falsis reverentia detur,
Sed sub verborum tegmine vera latent.
Vera latent rerum variarum tecta figuris,
Nam sacra vulgari publica jura vetant.
Haec ideo veteres propriis texere figuris,
Ut meritum possit conciliare fides.
Abdita namque placent, vilescunt cognita vulgo,
Qui quod scire potest, nullius esse putat.
Rem veram tegat interdum fallacia verbi,
Dum res vera subest, vera figura manet,
Falsa tamen verbi facie, sed mente fidelis,
Dum facit arcanis rebus inesse fidem.
De Furvo et Marciano.
Qualiter arcanum lateat sub imagine falsa,
Quaeritur; hoc Furvus atque Capella docent,
Excutiunt rerum causas, et foedera tractant.
Mores, historiae plus tibi, Furve, placent,
Sermo cothurnatus Furvi discessit ab usu,
Et raro legitur prae gravitate sui,
Sed tamen in pago Ligurino carus habetur
Hic, ubi de florum germine nomen habet.
Hunc meus a Conchis Wilielmus saepe legebat,
Hunc etiam noster Pontilianus amat.

V. 193. tegat interdum L, interdum tegat H. V. 197. Arg. De Furbo Lm sicuti v. 209. Furbus, ceteris locis: Furvus. V. 205. a Conchis Wilielmus H, a Chonchis Willelmus L.

Clauditur archivis Remorum, Belgica prima
Hunc dedit, et primas Aurelianis habet.
Utilior magnis Furvus, sed lacte Capella
Plenior est, parvis sensibus apta magis.
Transit in amplexus Stilbontis Philologia, De nuptiis Philologiae et Mercurii.
Hocque pie fieri nostra Capella docet.
Mercurius verbi, rationis Philologia
Est nota, quae jungi Philosophia jubet.
Si Genio verbi rationis suppetat usus,
Uxoris clarus dote maritus erit:
At sibi si ratio desit, prope nudus habetur,
Ut queat obscoenas vix operire nates.
Conjugium felix, cum naturae sociatur
Virtus, cui thalamus mens sapientis erit.
Non valet has Juno conjungere, non Hymenaeus, De gratia conciliatrice virtutum.
Pronuba virtutum gratia sola potest.
Hac sine sunt steriles verbi Genius ratioque,
Aut oritur fructus degeneratque malus.
Hac sine naturae vires frustrantur, et ejus
Ad bona conatus omnis inanis erit.
Ad mala namque sumus faciles, aptique perire:
Gratia si desit, est opus omne malum.
Gratia si desit, mens aut manus officiosa
Non erit; haec mentem praevenit atque regit,
Haec movet affectus, operum quoque promovet usus,
Linguam custodit, nec sinit esse ream;
Erigit affectum, rationem dirigit, actus
Componit, reserat abdita, vera docet.
Quos fovet, hos gratos et recte philosophari
Et facit optata prosperitate frui.

V. 229. aut L et H. est Lm (correctio).

Gratia naturam purgans illustrat et implet
Deque sinu Genii nobile ducit opus.
Gentiles Genium numen duxere caducum,
Natum subjectae fata subire rei.
Verius hic natale bonum dicetur, adaptans
Subdita gratuitis, posse subesse bonis.
Dotibus innumeris humanum gratia ditat
Et facit angelica sorte vigere genus.

Quod philosophia praecipuum munus gratiae.

Muneribus cunctis praecellit Philosophia,
Quam peritura cavet mens, generosa petit;
Semper ubique suos cultores ornat, honorat,
Provehit, adversos semper ubique premit;
Virtutes parit et nutrit, vitiumque noverca
Pellit, et errori non sinit esse locum.

De Nursia et Jocis ejus.

Frangitur adversis, extollunt prospera stultum;
Cum dare vult populo Nursia caeca jocum,
Quid nisi fortunae ludi, phantasmata mundi?
His etenim visum praestruit illa jocis.
Praestigio rota fortunae conformis inani
Dedocet infirmos, quos docuisse potest:
Ostentat falsas species et parva videri
Magna, vel e contra grandia parva facit,
Adversas rebus facies inducit et illis
Ponit ad arbitrium nomina falsa suum,
Res falsas aliquid, et res veras nihil esse
Fingit, ut occludat sic rationis iter.
Quamvis larvales inducat mille figuras,
Non caret arbitrio Philosophia suo.

De libertate arbitrii.

Exigit arbitrii libertas vera duorum
Subsidium, sine quo mens rea pressa jacet,
Scilicet ut ratio recte discernat ametque
Semper id affectus, quod pia jura probant.

Non praestare potest illud natura subacta,
Quam premit inflicto vulnere culpa comes.
Culpa fovens poenam rationis turbat acumen,
Velleque praecipitat, nec sinit esse pium.
Gratia naturam reparans rationis acumen
Purgat et affectus temperat atque regit,
Liberat arbitrium, sed eorum, quos pia mater
Consecrat ad cultum, Philosophia, tuum.
Philosophia quid est, nisi fons, via, duxque salutis, Quid philosophia.
Lux animae, vitae regula, grata quies?
Non equidem motus valet exstirpare molestos,
Sed nocuos reprimit et ratione domat;
Nec nocet assultus hostis leviter perituri,
Qui manet, ut noceat, bestia saeva minus.
Bestia saeva rapit membrum de corpore laeso Quod superbia, saeva pestis, illi,
Semper et insignit, quem docet esse suum; quod occupat,
Nunc pede, nunc oculo, nunc lingua, nunc humerorum membrum aufert.
Gestu, nunc vultus frumine quemque notat.
Interdum motu capitis cultusque figura
Aut operum sese bestia saeva refert.
Erudiunt hostes, sed bestia saeva superbum
Reddit et elatum dejicit atque necat.
Proficit ad meritum pugna tenuisse coronam,
Hosteque prostrato gloria major erit.
Pugna gravis fructum magnae mercedis habebit,
Nam meritis merces digna labore datur.

Post v. 274 in L leguntur hi duo versus, sed calamo inducti et adscripto verbo *vacat*:
Liberat arbitrium ratione caeca voluntas,
Ne mala subvertat praecipitoque (l. praecipitetque) reum.
V. 279. exstirpare, ita ego scripsi, extirpare L et H. V. 288. sese bestia saeva refert L et H, signis castra ferina portat Lm. V. 289. Sed bestia saeva L et H, alia fera seva Lm.

Militat ergo labor semper properatque mereri
Et mortis causam sive salutis agit.
Ille labor solus vitae servire probatur,
Quem movet atque regit Philosophia comes;
Ille neci servit, quem Philosophia relinquit,
Qua minus est, quicquid mundus habere potest.
Si quis ei tentat condignas dicere laudes,
Deficit ingenium, victaque lingua silet,
Aut si non sileat, balbutit, dicere gestit,
Quod nequit effari, notaque vota facit.

Quod philosophia et caritas sunt idem.

Si verus Deus est hominum sapientia vera,
Tunc amor est veri Philosophia Dei.
At si mundanum nihil illo majus amore,
Et si divinus omnia vincit amor,
Collige, quod mundum transcendit Philosophia,
Principio cujus constat inesse fidem.
Plena sacramentis virtutem gignit alitque
Christi vera fides, actus utramque probat;
Absque sacramentis non est haec vera, nec illa
Sufficiunt, nisi sit ad bona prompta manus,
Ad bona prompta manus, si tempus detur, adulto;
Umbra fovet pueros, ecclesiaeque fides.
Omne sacramentis summum dependit honorem
Dogma pium, reprobus haec nihil esse putat.

Quod nemo sine fide philosophatur.

Non valet absque fide sincere philosophari
Quisquam, nec meritum provenit absque fide.
Ergo fidem servet, qui philosophatur, ametque
Cultum virtutis et pietatis opus.
Vana fides, operum quam non monimenta piorum
Vivere testantur, non juvat, immo nocet.

V. 309 transcendit L, transcendat H.

Quod philosophia ordinem et modum in cunctis exigit.

Ordine cuncta geri praescribit Philosophia
Et statuit cunctis rebus inesse modum,
Ordine cuncta docet, causamque modumque legendi
Tradit, et in cunctis artibus ordo placet.
Hac duce prima rudes adeunt elementa loquendi,
Provecti gradibus dogmata quaeque legunt.
Ordine, lege, modo dispensat dogmata prudens:
Contra nugifluis lex, modus, ordo perit.
Nugifluus verbum sine tempore fundit ineptus,
Verbaque prudentum factaque tempus habent.
Ne cures, stultus quid fingat, quidve loquatur,
Cujus ab eloquio laus tibi nulla venit.
Si laudem captas, placeat tibi lex, modus, ordo:
His sine non exstat gloria, vel brevis est.
Ordine cuncta vigent et gaudent lege modoque,
Quae si quis potuit spernere, jure perit.
Confundi meruit, quem nullus continet ordo,
Quique modum nescit, deperit absque modo.
Quem lex non cohibet, dissolvit culpa solutum,
In mala praecipitat, praecipitemque necat.
Ordo sit ergo bonis vivendi, sitque loquendi,
Cum lingua mentem lex, modus, ordo regant.
Forsitan inquirent, veterum quid scripta repellat;
Accipe, quod dicit pusio sive Tryphon:

De more antiquitus philosophantium.

„Cur procul a nobis sit patrum secta priorum,
Absolvam paucis: est operosa nimis."
Multa legunt et multa docent prohibentque vagari
Discipulos, urgent scire, vel esse domi,
Ingenii vires pensant, mensuraque cunctis
A doctore datur viribus apta suis.
Nullus adulatur doctorum, munera nullus
Donat, ut auditor illius esse velis.

De ordine discendi.

Sed nec apud veteres confunditur ordo legendi,
Namque gradum proprium quaeque decenter habent:
Grammaticam sequitur diasirtica, synthesis illam,
Lexis eam, rhesis posteriore gradu.
His gradibus crescens facundia possidet arcem
Et varias artes absque labore docet.
Eloquii si quis perfecte noverit artem,
Quodlibet apponas dogma, peritus erit.
Transit ab his tandem studiis operosa juventus
Pergit et in varias philosophando vias,
Quae tamen ad finem tendunt concorditer unum,
Unum namque caput Philosophia gerit.
Rerum naturas scrutantur, quid sit honestum,
Undeque proveniat vita beata sibi,
Inspiciunt vires et stricti juris et aequi,
Sanis aut aegris quid medicina valet.

Quod divina pagina omnibus principatur.

Cum cunctas artes, cum dogmata cuncta peritus
Noverit, imperium pagina sacra tenet.

A quibus laus oritur.

Quatuor ista solent laudem praestare creatis:
Subjectum, species, artificisque manus,
Finis item, cunctis qui nomina rebus adaptat,
Nam bona vel mala sunt omnia fine suo.
Materies hujus Deus est, mundique suppellex,
Lux, a qua verum ducitur, ornat eam.

Quod veritas est sacrae paginae forma et lux animae.

Forma quidem res est, ex qua res vera vocatur,
Unde fit, ut constet, quod sacra scripta docent.

V. 359 et 360 Lm habent Glossas inter lineas ad voc. *synthesis:* de construenda, ad voc. *lexis:* i. dictio, ad voc. *rhesis:* unde rhetorica. V. 368. Philosophia L et H, vel tota sophia Lm. V. 373. Arg. ex L depromptum in H deest. V. 375. Arg. laus oritur L, oriatur laus H. V. 380 ducitur H et L (correctio), dicit L.

Est idea boni verorum fons et origo,
Quorum causa nitet in ratione Dei.
Lux accensa nimis et non accensa caducis,
Ut videant homines, se minuendo facit.
Nullus enim totam caperet; se temperat ergo,
Ut queat infirmus illius esse capax.
Haec eadem vero dat nomen participata,
Nam subjecta sibi dicere vera potest.
Lux animae verum, sine quo brutescit et errans
De vitio in vitium praecipitata perit.
Materia pretiosa nimis, nimis apta decori,
Artificemque suum forma decora probat.
Est idea potens veri substantia, quae rem
Quamlibet informat et facit esse, quod est.
Omne, quod est verum, convincit forma vel actus;
Nec falsum dubites, si quid utroque caret.
Forma suo generi quaevis addicta tenetur
Et peragit semper, quicquid origo jubet.
Ergo quod in forma nativa constat agitve,
Quod natura manens in ratione monet,
Esse sui generis, verum quid dicitur, idque
Indicat effectus, aut sua forma probat.
Hinc aliud verum rerum connexio monstrat,
Quam sine compositis nemo videre potest.
Est intellectus verus, quia concipit ipsam,
Sicque triplex veri dictio rebus inest.
Est sermo verus, quotiens designat eandem,
Si se res habeant, ut data verba ferunt.

V. 387 temperat L et H, contrahit Lm et Hm. V. 393. pretiosa H, preciosa L.

Res, intellectus et sermones quoque veros
Dogmate dispensat pagina sacra suo.
Artificem sese testatur Spiritus almus,
Illius existunt organa quique boni,
Mente, manu, lingua, si quid bene quilibet actum
Viderit, illius hoc opus esse sciat.
Hoc sine nil recte geritur, sed nec male quicquam
Hoc auctore gerunt mens rea, lingua, manus.

Quis finis philosophiae.

Finis amare Deum, vitii fuga, cultus honesti,
Sese nosse, Deum scire, tenere modum,
Cognitio veri, mundi contemptus, amare
Virtutes, felix vita, modesta quies,
Sana fides, spes certa boni, vitaeque perennis,
Arrha sub aspectu semper habere Deum.
Mens humana licet in cunctis rebus abundet,
Quas polus ostentat, quas dare terra potest,
Distrahitur multis et magnis anxia curis
Perpetuamque famem sustinet atque sitim,
Torquetur semper, requiem non invenit usquam,
Se nisi cum retegit gloria vera, Deus.

De gloria vana et vera.

Gloria vana facit miseros, sed vera beatos,
Illa tumet vitio, gaudet et ista Deo.
Fine suos tali sacra pagina donat amicos,
Cultorique pio calculus iste datur,
Calculus optandus, qui continet omnia mentis
Vota, nec admittit, si quid obesse potest;
Si quid obesse potest, a se propellit et arcet
Et facit ad nutum currere secla suum.
Nemo referre potest bona, quae sacra pagina confert
Illis, qui satagunt jussa tenere Dei.

V. 424. arrha H (correctio), arra L. V. 429. non L, nec H.

Haec scripturarum regina vocatur, eandem — Quod divina pagina regina est aliarum.
Divinam dicunt, nam facit esse Deos.
Est sacra, personas et res que consecrat omnes;
Hanc caput agnoscit Philosophia suum;
Huic omnes artes famulae; mechanica quaeque
Dogmata, quae variis usibus apta vides,
Quaejus non reprobat, sed publicus approbat usus,
Huic operas debent militiamque suam;
Practicus huic servit, servitque theoricus; arcem
Imperii sacri Philosophia dedit.
Stoicus hanc sequitur, dum semper in ultima visum — De dogmate Stoicorum.
Dirigit et vitii germina falce secat,
Virtutum causam statuit vitaeque beatae,
Ut mens assuescat cauta timere mori.
Hic timor expellit vanos a corde tumultus,
Mundanusque fugit hoc veniente timor,
Conteritur fastus, calidae perit impetus irae,
Et cessat luxus, depopulator opum.
Frena voluptati dantur, male suada libido
Deponit stimulos territa fine suos.
Omnia contemnit leviter, qui se moriturum
Cogitat et recolit cuncta perire brevi.
Si tamen absque modo fuerit meditatio mortis,
Subruat ut nimio corda pavore stupor
Spesque perempta cadat variis turbata procellis,
Excedit licitum mortis imago modum,
Excedit fines, quos lex praescripsit ad usum,
Et mortem veram mortis imago parit.
Lex jubet, ut timeas, sed desperare timentem — De timore moderando et desperatione vitanda.
Non sinit: hoc omni crimine majus habet.

V. 441. Arg. regina est aliarum Lm, aliarum regina sit Lm.

Omnem cum solvat confessio pura reatum
Et lavet internus crimina cuncta dolor,
Hoc scelus excludit veniam, poenamque meretur,
Quam prece vel pretio flectere nemo potest.
Crimina criminibus cumulat, male gesta fateri
Negligit, absorbet vota precesque timor,
Clementem negat esse Deum, nec parcere pronum
Culpis, sed cupidum sanguinis esse putat.
Principis offensi nullus sic mitigat iram,
Sanguinis ut dicat semper habere sitim.
Desipit orator, animos quicunque feroces
Judicis allegat, ut cadat ira gravis.
Numinis est proprium misereri semper ab ipso,
Hoc quisquis removet, denegat esse Deum.

Quod desperatio blasphemiam parit.

Qui negat esse Deum, plane blasphemat et ignes
In se succendit, tela crucemque parat,
Provocat aeternam mortem, quam nemo cavere
Sufficit absque Deo, quem furor esse negat.
Proficit ergo bonis jugis meditatio mortis,
Unde perit stultus, qui timet absque modo.

De timore probato

Est majestati gratus modus ille timendi,
Crimina qui vitat omnia spemque fovet,
Qui veritus justum recolit pietatis et inde
Judicis agnoscit nomen et inde patris,
Quique potestatis sic iram vitat, ut instet
Dulcibus obsequiis promeruisse patrem.

Definitio vocis.

Aër subtilis, quem guttur format et oris
Organa, qui sonitu possit ab aure capi,

V. 471. Omnem ita H et L (correctio), ubi *dictum* est erasum. V. 491. Arg. probato Hm, probali (sic) vel probati Lm.

Vox est, quae reserat uni, quid cogitet alter,
Inque vicem reddit pervia corda sibi.
Stoicus arctatus fato putat esse necesse
Currere cuncta modo, quo modo secla fluunt,

Quod Stoicus fatalem inducit necessitatem.

Numinis arbitrium disponens omnia fatum
Dicit, quod nullus evacuare potest.
Inde genethliacus sollerti sidera cura
Circuit et tumidus versat utrumque polum,
Eventus dulces spondens, male mulcet amicos
Et falsus vates saepe timere facit,
Colligit astrorum motus, ut colliget astris
Fata, pari studio numen et astra colit.
Pronois errorem quia non admittit, ab illa
Concipit errorem dogma senile gravem;

Quod providentiam putat esse causam necessitatis.

Pronois in partu fati nimis omnia pressit
Et duras leges imperiosa dedit.
Libertas perit arbitrii, si fata coactis
Obsequiis mentes, ora manusque movent.

Quae inconvenentia sequantur fatalem necessitatem.

Praemia pro meritis nulli debentur, in ipsum
Auctorem fati crimina cuncta cadunt.
Errores istos incommoda multa sequuntur,
Quos vitare pium, sed numerare labor.
Exaequat culpas poenaque coaequat eadem
Stoicus, at contra pagina sacra facit.

V. 501. Arg. fatalem necessitatem inducat H, fatalem inducit necessitatem Lm. V. 505. genethliacus H, genelliacus L. — sollerti L, solerti H. V. 506. tumidus L et H, vel timidus Lm. V. 511. Arg. Quod providentiam esse causam necessitatis Lm, quod providentiam erroris causam esse putat Hm. — *Pronois* — ad hoc vocabulum in Lm leguntur duae glossae seperatim scriptae: *providentia* et: vel *noticia*. V. 512. *senile* — ad hoc vocabulum in Lm legitur glossa: *Stoicorum*. V. 515. Quae inconvenientia sequantur fatalem necessitatem Lm, Quae inconvenientia libertatem arbitrii sequantur Hm.

In multis igitur legi consentit et idem
Adversus legem multa docere solet.
Dogma fides recipit, nisi lex manifesta repugnet,
Vel ratio potior hoc reprobare queat.

De Epicureorum dogmate.

Esse boni summam putat alter gaudia mentis,
Atque voluptati cuncta subesse docet.
Hoc equidem recte, sed si sit pura voluptas,
Si ratio dicti gaudia vera capit,
Si status appetitur, ut, quod vult, adsit, et absit,
Quod non vult animus, ad pia vota studens,
Si labor aspirat veram conferre quietem,
Si mens tranquille gaudia pacis habet.
Militat ad pacem labor officiosus et ambit,
Quod sibi laetitiam perpetuare queat.
In virtute labor positus dulcescit, et in se
Mens benefactorum conscia laeta viget.

De pugna laboris et quietis.

Sed labor et requies ineunt in corpore bellum,
Angit hic, illa fovet, hic fugit, illa manet:
Ut multum duret bellum, cum tempore cessat,
Sed finem pacis tempora nulla dabunt.
Vera quies aderit tunc, cum caro subdita menti
Morte triumphata spiritualis erit,
Et caro nil recipit, nisi quod ratione probatur,
Et mentem puram firmat agitque Deus.
Unitur menti caro subdita, mensque beatur
Plena Deo: finem non habet ista quies.

Quod mundus non habet veram pacem.

Non habet hanc mundus, qui lites, bella, rapinas
Praestat et humanis caedibus usque madet,

V. 531. adsit H, assit L. V. 539. corpore Lm et H (correctio), tempore L et H.

Qui sordes parit, auget, amat, qui fallit amantes,
Cultoresque suos commaculare solet.
Hanc requiem sacra scripta docent; sed gratia
praestat, Quod gratia Dei dat veram quietem.
Qua sine nulla quies pacis amoena datur.
Nam gaudere semel, iterum gaudere jubemur
In domino, qui dat gaudia dupla suis.
In spe nunc gaudens animus laetabitur, in re
Sumens militiae praemia plena suae.
Praemia duplantur, cum mens, caro glorificantur, De gaudio duplo et simplo.
Si sit in alterutro, gloria simpla datur.
Sed quoties animae praecedit gloria, constat,
Quod caro pro meritis munus habebit idem.
Sobrius exaudit leges Epicurus, et idem De errore Epicureorum.
Ebrius est Veneri subditus atque gulae.
Hic faber incudem, quam circumvallat inani,
Figit in incerto, cetera casus agit.
Conflat in immensem corpuscula casus acervum,
Ut fiat mundi maximus iste globus.
Fixaque sint elementa locis sub lege perenni,
Utque vices peragant tempora certa suas.
Haec quoque secta docet, animam cum carne perire
Et frustra leges justitiamque coli.
Flatibus assimulat subtilia corpora mentes,
Mentiturque piis praemia nulla dari.
Quid deceat, nescit; Venus, alea, somnus, odores,
Crassa culina, jocus, otia, vina juvant.
Istis addantur plausus, fallacia, nugae
Et quicquid mimus, histrio, scurra probant.
Mancipium ventris non curat, quid sit honestum, Quod Epicurus casum pro Deo colit.
Fortunamque putat numinis esse loco.

Nil ratione geri, sed casu cuncta; voluptas
Numen excolitur, res mala, venter edax.
Nil Epicurus amat, nisi quod ventri Venerique
Immolat, at ventri victima prima cadit.
Ordoque membrorum vitiorum germina nutrit,
Et gula dat Veneri semina, spemque fovet.

Quis fructus Epicureorum.

Hostia, quam mactat ventris Venerisque sacerdos,
Congrua pro meritis praemia semper habet.
Praemia mactantis sunt ignes, stercora, vermes;
Talis enim merces talia sacra decet.
Ista voluptatis stolidae, sunt gaudia, finis
Ultimus aerumna, gloria summa pudor.
Numina digna sacris sunt et sacra numine digna
Et cultore Deus, cultor et ipse Deo.

De dogmate Peripateticorum.

Philosophos agiles agitat discussio rerum,
Ut verum possint fonte videre suo.
Veri fons, idea boni, quod sunt, facit esse
Singula pro generis conditione sui.
Hoc rerum causae manant de fonte, suisque
Respondent causis omnia lege data.

De lege naturae et natura creata.

Lex est causarum series, natura creata
Effectus causis assimilando parit.
Causarum seriem disponit summa potestas,
In forma numeri, ponderis atque modi.
Quodque potestatis ratio disponit ab aevo
Dispensante manu, tempora certa vident.

Quid natura

Causarum series natura vocatur, ab illa
Sensilis hic mundus contrahit esse suum.

V. 582. Ad voc. *numen* glossa inter lineas in L: *cui Deus venter est.* V. 585. Ad voc. *ordoque* etc. glossa inter lineas in L: *quia ventri genitalia cohaerent.*

Et si vicinis concordant plasmata causis,
Tunc natura parens omne figurat opus.
Si sit ab eventu vicino dissona causa,
Contra naturam turba quid esse putat
Et, quia causa latet, dicit ratione carere;
Sed plane nihil est, quod ratione caret.
Praecedit ratio rerum quarumlibet ortum,

Quod nihil contra rationem.

Et natas eadem provehit atque movet:
Haec eadem finem praestat rebus perituris,
Et motus omnes optima causa regit.
At causas inter quae praecedit, dominatur
Et vires omnes inferioris habet.
Non tamen inferior dominantis jure potitur,
Aut aequis illi passibus ire potest.
Hoc scriptura docet, jubet hoc natura creatrix,
Ut cedant superis inferiora suis.
Unica causarum ratio divina voluntas,

Quid omnium causa.

Quam Plato naturae nomine saepe vocat.
Illius imperio servit natura creata,
Ordoque causarum totus adhaeret ei.
Est hominis ratio summae rationis imago,

Quid humana ratio.

Quae capit interius vera docente Deo.
Ut data lux oculis, tam se quam cetera monstrat,
Quae sub luce patent et sine luce latent,
Claraque fit nubes concepto lumine solis,
Cum dependentes flatus abegit aquas:
Subdita sic ratio formam summae rationis
Sordibus expulsis induit, inde micat.
Tunc mens tota nitet et vero lumine plena
Res falsas abigit et bona vera colit.
Sicut nemo potest aliquid nisi luce videre,

Quid illuminet rationem.

Sic hominis ratio caeca fit absque Deo.

Vera Deus lux est et luminis illius auctor,
Quo solo sese quisque videre potest.

Qui sint usus luminis.

Ut se quis videat, est summi luminis usus,
Muneris est usus munus amare datum,
Muneris est usus discernere cuncta potenter,
Muneris est usus cultus amorque boni,
Muneris est usus rerum cognoscere fructus,
Muneris est usus ad meliora trahi,
Muneris auctorem cognoscere muneris usus,
Muneris est usus summus amare Deum.

Quod verus philosophus Deo carere non potest.

Si vis nulla potest disjungere, quos amor unit,
Verus philosophus non erit absque Deo.
Sed nec mors poterit istum dissolvere nexum,
Perpetuo vivet, qui sapienter amat.

Quod ratio speculum est et oculus et manus ad res videndas et capiendas.

Est igitur ratio speculum, quo cuncta videntur,
Officioque oculi fungitur atque manus,
Conscia naturae verum scrutatur et aequi,
Arbitra virtutum sola ministrat opes.
Res triplici spectare modo ratio perhibetur,
Nec quartum potuit mens reperire modum.
Concretivus hic est, alius concreta resolvit,
Res rebus confert tertius atque refert.
Naturam primus, mathesim medius comitatur,
Vindicat extremum logica sola sibi.
Mens versatur in his et singula pensat ad unguem,
Ut rerum vires cauta videre queat,
Quam ne delusam virtutis imagine falsa
In mala praecipitem nubilus error agat,
Et ne pro rebus teneat phantasmata rerum,
Notitiam veri secta fidelis amat.

Vv. 659—666 in L margini adscripti sunt. V. 663. mathesim L, mathesin H. V. 664. Vindicat c, vendicat L et H.

Esse bonum summum rerum cognoscere causas, *Quod notitia veri, summum bonum secundum Aristotelem.*
Credit, quod docuit, magnus Aristoteles.
Labitur e facili, species quem fallit inanis,
Nec species aliquem fallere vera potest.
Confirmatur enim vero res vera, beato
Res bona, perpetuo res habitura statum,
Falsaque res fallit, perimit peritura, cadensque
Opprimit, infelix quisquis adhaeret ei.
Contemptum mundi parit haec speculatio rerum, *Quis fructus sectae Peripateticorum.*
Quae casu proprio cuncta perire probant.
Contemptus mundi verus via prima salutis, *De contemptu mundi et fructu ejus.*
Fallit enim mundus praecipitatque suos.
Nam mundanus amor excaecat lumina mentis.
Ut cadat in miseram caeca sequela necem.
Nullus amare Deum mundumque potest, quia semper *Amor mundanus contrarius est amori Dei.*
Unius adventu pellitur alter amor.
Nullus amatorum mundi nomen sapientis
Possidet, oppositus est amor iste Deo.
Qui mundum spernit, illi dominatur et hostis
Debilitat vires et pede colla premit.
Spes, dolor, ira, metus et honorum caeca cupido,
Gaudia, damna, lucrum sunt velut aura levis.
Mundus pressuram tribuit, sapientia pacem,
Et mala cuncta fugat et bona quaeque fovet.
Contemptus mundi conditus amore superno *Timor Dei mundi contemptum facit et deificat homines.*
Omnia, quae spernit, in sua jura trahit.

V. 671. Arg. notitia veri Lm, veri notitia Hm. — Aristotelem H, Aristotilem L. V. 672. Aristoteles H, Aristotiles L. Ita ubique nomen repetitur. V. 679. Arg. e Lm depromptum in Hm deest. V. 695. Arg. deificat homines Lm, homines deificat Hm.

Hoc sine nemo sapit, fovet hunc timor ille beatus,
Qui dat principium, Philosophia, tibi.
Insitus hic sanctum timor introducit amorem,
Hoc fit homo sapiens, hoc fit amore Deus.

Quod unus Deus est per naturam, multi per gratiam.

Natura Deus est unus, sed munere plures,
Gratia quos numen participare facit.
Natura Deus est unus, sed gratia multos
Consortes voluit numinis esse sui.

Quod tres personae unus Deus suis tamen distinctae proprietatibus.

Nam pater et natus cum flamine sunt Deus unus,
Sed retinent proprium prosopa quaeque suum.

Quod tres personae unius naturae sunt, voluntatis et operationis.

Sint licet unius naturae, numinis, actus,
Censentur propriis prosopa quaeque suis.
Filius aeterni patris et virginis almae
Natura Deus est, munere factus homo.
Muneris est, quod homo verus verus Deus idem,
Exaequans meritis praemia lance pari,
Et quod eum flexis genibus res omnis adorat
Aequalemque Deo praedicat esse patri.
Et qui tanta patris accepit munera gratis,
Scit dare militibus optima dona suis,
Acceptum munus dedignat solus habere,
Quos amat, illustrat et facit esse Deos,
Provehit ad summum, quos gratia mater adoptat,
Proque gradu meriti summa tenere facit.

V. 697. Ad voc. *hunc timor ille* etc. glossa inter lineas in L haec: *timor Domini sanctus s. manet in s.* V. 698. Ad. voc. *principium* glossa inter lin. baec in L: *initium sapientiae timor Domini.* V. 701. Arg. ex Lm depromptum in Hm deest. V. 705. Arg. Quod tres personae etc. Lm, tres personae sunt suis proprietatibus distinctae, unus tamen Deus Hm. V. 707. Arg. ex Lm depromptum in Hm deest. V. 716. Scit dare militibus L et H, vel largitur membris Lm. V. 719. Provehit ad summum Lm (correctio) et H, sic super astra vehit L. V. 720. summa tenere facit Lm (correctio) et H, sanccit (sic) in arce Deos L.

De triplici superbia, quae impedit hominis deificationem, scilicet rationis, voluntatis et vitae.

Sed fastus rationis obest, erroris amicus,
Quo maculante fides evacuata perit.
Pessimus erroris comes est elata voluntas,
Quae fractas mentes curvat ad omne malum.
Tertia praedictis adjuncta superbia vitae
Omnem virtutem subruit atque necat.

De dogmate Academicorum, quorum Arcesilas princeps est.

Distrahitur miser Arcesilas et in omnibus anceps
Fluctuat et nescit, quo velit esse loco,
Pervigili studio semper fugientia quaerit
Vera, nec in studiis novit habere modum,
Omnia perlustrat sapientum dogmata, tandem
Ignorare docet omnia vera suos.
Perpetuo nam vera latent, si creditur illi,
Non ea mortalis pervia sensus habet.

De Zenone.

Posse nihil sciri laudatur Zeno probasse,
Haerens in cunctis et dubitare jubens.
Scire nihil finis operae, longique laboris
Et quaestus magnis sumptibus iste datur.

De Pythagora et dogmate ejus.

Ad Samii nomen nullus conscendit, in ipso,
Ut veteres perhibent, plena Sophia fuit.
Ad frugem vitae melioris molle Tarentum
Pertrahit, ut morum summus in orbe sator.
Quinque polum zonae distinguunt, aëra quinque,
Est eadem ponti sectio sive soli.
At Samius tres esse docet, mediamque colonis
Tradit, at in reliquis algor et aestus agunt.
Tradere rem dubiam seclis putat esse profanum,
Neque velit sapiens esse, poëta vetat.

V. 721. Arg. scientiae, rationis L, rationis, scientiae H. V. 739. Arg. dogmate eius L, eius dogm. H. Vv. 741—764 in L, margini adscripti.

Et quia certa trium valet esse scientia, veras
Tres docet, in reliquis esse poëma sinit.
Temperiem mediae faciunt extrema, jubetque
Ut medium teneat, qui bonus esse cupit.
Grataque temperies animalia corpora nutrit,
Ut natura jubet, haec magis, illa minus.
Pervia spiritibus sunt corpora densa, sed illos
Nunc cohibet major arbitriumve Dei.
Corpus spiriteum non laedunt algor et aestus,
Vis elementorum nulla nocere potest.
Sed torquetur ab his animalis vita, capitque
Congrua pro meritis praemia quisque suis.
Faeceque decocta cunctis recreatur origo
Purior et redeunt aurea secla patrum.
Multa probe docuit illoque perutilis aevo,
Inter praecipuos summus in orbe fuit.
Hinc tamen arguitur, animas quod ab aethere lapsas
Asserit, et corpus carceris esse loco,
Et quod eas propriis exclusas in nova mitti
Corpora pro morum conditione putat,
Et quod eas proprios tandem deducit ad ortus
Corporis, ut cupide rursus ad ima cadant.
Cum semel haec fuerint illo tradente recepta,
Convincit ratio plurima falsa sequi.

De Socrate et auctoritate ejus et dogmate.

Ante pedes Socratis humiles sternuntur alumni,
Indigitemque Deum Graecia tota colit.
Quaerere, si cunctos praecessit vera docendo,
Vixerit an sancte, creditur esse scelus.
Exercent alii numeros et pondera rerum,
Quae mensurandi regula, quive modi;

V. 773. Arg. De Socrate etc. Lm, vocabula *auctoritate* et alterum *et* desunt in Hm.

Parcarum mentem sunt qui speculentur in astris
Et rerum motus, consiliumque Dei;
Sunt qui rimantur naturae viscera, sunt quos
Nexio causarum, signaque sola tenent:
Sic aciem mentis vexant et in extera spargunt,
Et privata suo lumine corda manent.
At Socrates hominum curas contemnit inanes
Et latebras cordis quemque videre movit,
Extera cuncta notat et contemplatur ad usum
Et, quanti novit singula, tanta facit.
Contrahit in sese mentis radios; Deus illi
Est animus, mundus victima, serva caro;
Illicitos motus corruptae carnis abhorret
Naturaeque malum sub ratione domat,
Instituit mores vitamque serenat, eoque
Iudice virtutum maxima scire pati.
Si commetiri mentem mundumque liceret,
Haec major, minor hic, servit hic, illa regit.
Nam carni mundus, servitque caro rationi,
Quae pars est animi participata Deo.
Omnia sic laeto Socrati famulantur eique,
Quem vis nulla potest laedere, mundus obit.
Haec hominis doctrina fuit, tamen error in illa est,
Quod cujusque animum credidit esse Deum.
Hinc hominis mentem pro numine dicit habendam,
Ut cui divinus est tribuendus honor.
Vix aliquem tanta sors dote beavit, ut illum
Non queat erroris praecipitare malum.

Quod Socrates animum hominis Deum putet.

Quod mundus animo minor est et re et dignitate.

De errore Socratis.

V. 779. speculentur L, speculantur H. V. 795. Arg. Quod mundus etc. Lm. Vocabula *Quod et re et dignitate* desunt in Hm.

De Anaxagora et ejus dogmate.

Tradit Anaxagoras animas ex traduce nasci
Et causam teneris ossibus ossa dari.
Quod de carne caro, sanguis de sanguine manat,
Transit et in sobolem tota figura patrum.
Sectio particulae corpus minuit, sed in ipsam
Simplicitatem animae sectio nulla cadit;
Ut calor ex aestu, lumen ex lumine prodit,
Sic ortum ex uno spiritus alter habet.
Pura fides prohibet animas de traduce credi,
Quas Deus infundit et facit usque novas.
Ex nihilo fiunt et nunc in corpore clausae,
Nunc sine corporibus jussa creantis agunt,
Nec pereunt, quoniam ratio virtusque perennis
Efficiunt, ut in his constet imago Dei.

De Aristotele et dogmate ejus

Magnus Aristoteles sermonum possidet artes
Et de virtutum culmine nomen habet,
Judicii libros componit et inveniendi
Vera, facultates tres famulantur ei:
Physicus est moresque docet, sed logica servit
Auctori semper officiosa suo.
Haec illi nomen proprium facit esse, quod olim
Donat amatori sacra Sophia suo;
Nam qui praecellit, tituli communis honorem
Vindicat; hoc fertur jure poëta Maro.

De errore Aristotelis.

Sed tamen erravit, dum sublunaria casu
Credidit et fatis ulteriora geri.
Non est arbitrii libertas vera creatis,
Quam solum plene dicit habere Deum.

V. 807. Arg. ex Hm depromptum deest in Lm. Vv. 807—820 in L margini sunt adscripti. V. 821. Arg. dogmate ejus Lm, ejus d. Hm. V. 830. vindicat H, vendicat L. V. 834. solum L, solam H.

Quicquid luna premit, ex quatuor est elementis,
Et quae transcendunt, simpliciora putat.
Illaque perpetua definit pace vigere,
Quae supra solem circulus altus habet.
Non ibi committunt aliquod contraria bellum,
Nam tranquilla quies ulteriora fovet.
Ut fierent animae, substantia quinta creatur,
De qua signiferi constat origo poli.

Quod animae de quinta essentia.

Illa beatorum sedes, haec aula Deorum,
Nam magis apta Deo, quae gravitate carent.
Aeternum mundum statuit tempusque coaevum,
Hisque coaeternus dicitur esse locus.
Nilque perire docet, sed in orbem cuncta rotari
Et loca temporibus quaelibet apta suis.
Est individuum, quicquid natura creavit,
Conformisque status est rationis opus.
Si quis Aristotelem primum non censet habendum,
Non reddit meritis praemia digna suis.

Quod natura singularia tantum novit, universalia quasi quaedam rationis figmenta sunt.

Cunctis principium finemve dedisse probatur
Artibus; evincit, quicquid habere cupit.
Quod potuit quemquam ratio mundana docere,
Huic dedit, ut fierent dogmata plena fide.
Quicquid enim docuit, docuisse putatur Apollo,
A quo progenitum fabula Graeca refert.

Quod Aristoteles dictus est filius Apollinis.

Plurima cum recte doceat, tamen errat in illo,
Quod semper reliquis obvius ire parat;

Quod Aristoteles omnibus studuit obviare.

Nam licet in summis fuerit praeclarus habendus,
Captator laudis immoderatus erit.

V. 837. definit H, diffinit L. V. 849. Arg. *Quod* deest in Hm, quaedam rationis Lm, rationis qu. Hm. Vv. 857 et 859. Argg. desunt in Hm.

Quid deceat philosophum.

Philosophum virtus clarum, non gloria vana
Reddit, honor verus laudis amore perit.
Philosophus satagit, ut mens respondeat ori,
Ut proba sit verbis consona vita bonis.
Non ut quis recte loquitur, mox philosophatur,
Sed qui sic vivit, ut bona semper agat.
Nam Venerem culpare potest lasciva puella,
Virtuti laudes dicere scurra potest,
Indocti possunt sapientum verba referre,
Peccat et interdum lingua perita loqui.

Quod Aristotelem vicit gloria, quam verbis impugnavit.

Vincit Aristoteles alios, hunc gloria vana,
Quam tamen impugnat et docet esse nihil.

Quod philosophia vanam gloriam fugat, victa prius voluptate et avaritia.

Haec est, praestantes quae deserit ultima mentes,
Quam tandem victrix Philosophia fugat.
Indicit bellum virtuti prima libido,
Cum caro, cum sanguis uritur igne novo.

Quae coërceant libidinem.

Hunc poterunt sedare labor tenuisque diaeta,
Quique placet cautis, res fugitiva, timor.

Quae reprimant avaritiam.

Bella secunda movet amor irrequietus habendi,
Succendens animas pronus ad omne nefas;
Instigant oculi mentem, cum singula spectant,
Ut velit esse suum, quod putat esse bonum.
Conterit hoc vitium rerum speculatio cauta,
Et divinus amor suppliciique metus.

Quod alia vitia oriuntur ex aliis, sed superbia etiam ex virtute.

Ex vitiis aliis aliorum constat origo,
Et de principiis sunt mala multa malis.
Aestus avaritiae gignit plerumque rapinas,
Saepe facit cupidum luxuriosa Venus.

V. 873. Arg. deest in Hm. V. 875. Arg. Quod philosophia etc. L, Philosophia devicta voluptate et avaritia vanam gloriam fugat H. V. 887. Arg. *Quod* deest in Hm, oriuntur ex aliis Lm, ex al. or. Hm.

Immoderata parit Venerem gula, dat furor ausum,
Livor edax odium, fit vetus ira furor.
Sic vitium vitio dat causam datque sequelam,
Res etenim turpis sola manere nequit.

Quod negligentia parvorum magna vitia generat.

Si modicum spernis, paulatim magna sequuntur,
Et venit a minimis saepe ruina gravis.
Gloria nobilium manans de fonte bonorum
Praetendit generis nobilitate decus.
Nam cum fermento virtus corrupta tumescit,
De misero coitu nata superba venit.
Haec paribus sese praefert spernitque minores,
Nescit et auctori stulta subesse suo
Et sic de meritis veniens aut sanguine claro
Est ingrata Deo, munera cujus habet.

De vitio ingratitudinis.

Ingrati crimen, cui gratia nulla cohaeret,
Ingratum prohibet civis habere locum.

De vana gloria.

Est ingrata Deo, quae doni captat honores,
Quae laudes operis vult retinere boni.
Praeripit auctori quisquis titulos meritorum,
Provocat ultrices in sua damna manus.
Gloria vana quid est, nisi fumus et umbra sonusque,
Qui simul, ut cœpit, incipit esse nihil?
Hanc tamen affectant omnes, quia semper adesse
Verae virtutis testificatur opus.
Gloria, dulce malum, magnorum pectora mulcet
Et tamen haec eadem languidiora facit.
Quos caro non flectit, nec amor pervertit habendi,
Gloria de facili praecipitare solet.

Quae reprimant vanam gloriam.

Hanc tamen perimunt rerum speculatio, mundi
Contemptus, poenae terror, amorque Dei.

V. 892. Livor edax odium Lm (correctio), Odia livor edax L. — Arg. *Quod* deest in Hm.

Si sua quis plene recolit mala, si bona semper
Cogitat alterius, unde superbus erit?
Si meritum vitae penset, si vindicis iram
Posseque respiciat, unde superbus erit?
Unde superbus erit, si se speculatur ad unguem,
Terra, cinis, vermis, faex, vapor, umbra, lutum?

De vitio elationis.

Non habet elatus virtutum dona, sed illi
Et Deus est hostis, hostis et omnis homo.
Elati vitium, quo nullum majus habetur,
Non sinit elatum fratris amore frui.

De virtute humilitatis.

Digni sunt humiles virtutum munere, digni
Scire Deum, dignis vita beata datur.
Qui docet haec verbis, praetendit philosophantis
Nomen, philosophus haec facit atque docet.
Haec et Aristoteles fertur docuisse loquendo,
Fortius exemplis quilibet ista docet.

De Platone et dogmate ejus.

At Plato symmystes veri distinguit in ipsis
Scibilibus, quid res scire creata queat.
Nam licet interdum fidei contraria dicat,
Sunt tamen illius plurima grata bonis.
Principio docet esse Deum, distinguit ab aevo
Tempus et ideas applicat, aptat hylen.

De hyle.

Invenit hanc animus, dum cuncta resolvit agitque,
Ut prodant causas cuncta creata suas.
Si specularis hylen, nunc est substantia quaevis,
Contra nunc eadem creditur esse nihil.
Quam dum vestigat ratio, quasi somnia sentit,
Dumque tenere cupis, mox fugitiva latet.
Auris abesse sonum sic audit, dum nihil audit,
Sic oculis tenebras cerne videndo nihil,

V. 129. recolat L, recolit H (correctio). V. 921. Cogitat L, Cogitet H (correctio). V. 923. vindicis L, judicis H. V. 925. speculatur L, speculetur H (correctio).

Defectuque suo sic tactus tangit inane,
Insipidum gustus nil sapiendo probat,
Et nihil olfaciens procul esse revincit odores,
Qui prius argutus censor odoris erat.
Est Deus aeternus, mundus cum tempore coepit,
Hic manet, at tempus caetera cuncta movet.

De Deo, cuius potentia est efficiens causa mundi.

Per numeros elementa sibi contraria nectens
Vincit et aeterna pace vigere facit.
Subdita primorum generum sibi symmetra non sunt
Nec simili antigena sub ratione cadunt.
Temporis atque loci non est proportio nota,
Mensurae ratio ponderis esse nequit.

Quod numerus, pondus, mensura, locus, tempus sibi commensurabilia non sunt.

Praedictis numerus asymeter est, et in istis
Quinque suum munus philosophia gerit.
Additur his series causarum vel rationum,
Quas intellectus cernere solus habet.
Multiplicando modum nescit virtus numerorum,
Et finem magnis sectio nulla facit.
Crescit in immensum numerus, sine fine resolvit
Continuum quodvis, sed ratione potest.
Deficit ingenium, cum tendit ad ultima; solus,
Qui facit atque regit, prima videre potest,

Quod ingenium hominis circa prima et ultima deficit.

Cognitus ille sibi plene solisque beatis
Spiritibus, quantum gratia cuique favet.
Nec de principiis recte censere licebit
Praeter eum, qui dat omnibus esse suum.
Mens hominis, numerus simplex aptusque movere
Sese, conformis dicitur esse Deo.

De anima hominis.

V. 955. Arg. De Deo, cujus Lm, Dei Hm. Vv. 959 et 971. Argg. *Quod* deest in Hm. V. 978. Arg. humanis Lm, humana Hm.

Nam Deus ut mundum totum regit, implet et ambit,
Sic animae corpus subditur omne suae.
Materies animae diversa subest, eademque
Ex individuo est dividuoque simul,
Moleque corporea premitur virtus animarum,
Hinc magis, inde minus, ut caro juncta sinit.

De motu rationabili et irrationabili.

Suntque duo motus erroneus et rationis,
Hic viget in summis, alter ad ima trahit.

De immortalitate animae et corporum resurrectione.

Sunt immortales animae, corpusque caducum
Interit, et tandem pristina vita redit.

De magno anno.

Pristina vita redit, cum magni terminus anni
Ad primum revocat sidera cuncta locum.
Annus tunc renovat novus omnia, corpora rursus
Accipiunt animae, tempora lege fluunt.
Si renovant mundum solis lunaeque recursus,
Fortius hoc facient sidera cuncta simul.
Praesidet humori vaga Cynthia, solque calori,
Humor ab adjuncto cuncta calore parit.

De radiis solis et lunae et officiis eorum et significatione.

Lunares radii carnes fructusque perurunt
Et vitiant, radius solis utrisque favet.
Sic mundana perit sapientia, veraque prodest
Naturamque fovet, plena calore Dei.
Sed calor immensus vermes parit, ut tibi constet,
Scrutandi quid habet immoderatus amor.
Sol fovet et reprimit visum, quia sobrius esse
Debet, qui satagit mystica scire Dei.
Subdita sole vides, tibi luce creata patescunt
Divina, plene nullus utrumque videt.

V. 987. Arg. immortalitate animae Lm, an. imm. Hm, corporum Lm, corporis Hm. V. 997. Arg. et officiis eor. et sign. add. Lm. V. 998. favet Hm, facit L.

Est coeleste bonum solemque Deumque videre,
Solaque mortales inferiora vident.
Lux immensa tegit solem, divinaque semper
Majestas sic est lumine tecta suo.
Est in solari fons luminis atque caloris
Corpore, spiritibus fons utriusque Deus.
Nulla perire potest substantia, formaque formae Quod nulla substantia perit.
Succedens prohibet, quod movet, esse nihil.
Motibus his recreata manent elementa vigentque,
Dum vetus abscedit et nova forma datur.
Portio fessa statu grata novitate resumit
Robur et a formis accipit esse novum.
Alterat haec species, aliud facit illa, genusque
Dicitur et confert cuilibet esse rei.
Informis Deus est, formarum forma vigorque, Quod informis Deus et forma formarum.
In quo res omnis perpetuata manet.
Semper enim vivit ratio divina, perenne
Res omnes vivunt in ratione Dei,
Immotaeque manent ideae, constat in illis,
Quicquid ad occasum temporis unda rapit.
Dispensat rerum motus ratio sine motu,
Et stabilis virtus tempora cuncta movet.
Non sunt informes Dii, quos natura creatrix
Ex variis ortum rebus habere facit,
Quo circumscribit ratio, naturaque facta
Formaque concretis redditur atque genus.
Informis Deus est, quia simplex, non aliunde
Constans nec debens pluribus esse suum.

V. 1013. 1021. 1043. 1051. Arg. *Quod* deest in Hm. V. 1021. Arg. informis Deus Lm, Deus inf. Hm.

Quod res vere simplex absoluta est.

Absolvit ratio rem verae simplicitatis
Et quicquid nullo claudere fine potest.
Quod vere simplex, nullo motu variatur,
Non antiquatur tempore, semper idem.
Alternat mundus facies nescitque manere
Et perimit tempus, quicquid ad esse vocat.
Omnia sic in se redeunt, sic lege perenni
Numinis aeterni perpetuatur opus.

Quod terra in imo est, et quod singuli orbes suos habent habitatores.

Summa tenent superi, medio jacet infima tellus,
Et medios orbes incola dignus habet.
Spiritus in cunctis elementis est et in astris
Cuique suus, mundum spiritus unus agit,
Maximus hic, omnes alii sunt particulares,
Hic totum, reliqui singula membra movent;
Omnis enim regio propriis est plena colonis,
De quorum motu rebus origo venit.

Quod ignis omnia purgat.

Aër corruptus solo purgatur ab igne,
Purgat et infectae crimina motus aquae.
Diluit haec terrae sordes, res celsior omnis
Subdita sic purgat cuncta vigore suo.
Celsior interdum sordescit ab inferiori,
Ast ignem purum nil maculare potest.
Purius hoc nihil est, qui sordes decoquit omnes,
Unde locum summum res Deiformis habet.

Quod sublunaria aguntur motu superiorum.

Res sublunares nasci motu superiorum
Constat, et immotum cuncta movere Deum.

Quid natura.

Principium motus rerum natura vocatur,
Est in naturae nomine causa latens,

V. 1059. superorum L, superiorum H. — Arg. *Quod* deest in Hm, aguntur motu Lm, motu sup. aguntur Hm.

Causa latens, proprium quae singula ducit ad ortum
Et similes rivos fontibus esse facit.
Contra naturam sunt plurima posteriorem,
Sed contra primam, quid valet esse? nihil!
Zodiacus bis sex obliquat signa rotatu, De zodiaco circulo.
Aequalesque sibi non sinit esse dies.
Arcticus est medii notum nobis caput axis,
Sed reliquum prohibet terra videre polum.
Septem terra vagis excentrica subjacet astris, Quod globus terrae planetarum circulis excentricus est et faex elementorum.
Quam tamen ut centrum maximus orbis habet.
Inferior paret semper globus exteriori,
Terra subest cunctis orbibus apta pati.
Haec immota manet, sed in orbem cetera currunt,
In medium recidunt pondera cuncta locum.
Faex etenim semper in fundo tarda quiescit
Attactuque suo sordida quaeque facit.
Omnia sordescunt, quae turpi faece replentur,
Quae, nisi purgentur, vasa perire facit.
Sic infecta diu devictaque faecis acore
Vix caput attollit mens onerata luto.
Nam prope tellurem sunt fumi, flamina, nubes,
Quae turbant oculos et rationis opus.
Contra naturam facies humana reflectit
Ad terram vultus, nata videre Deum.
Sed tamen interdum terrena videntur ad usum,
Nec peccat, si sit tetra libido procul.
Principis haec tradit sapientum dogma Platonis,
A quo posteritas dogmata vera capit.

V. 1070. polum L et H, vel caput Lm. V. 1071. 1095. 1103. 1109. Arg. *Quod* deest in Hm. V. 1071. Arg. globus terra Lm,t erra gl. Hm.

Sic igitur docuit, quid cui sit scibile, quid non,
Ut teneant proprium cuncta creata modum.

Quod Deus solus omnia novit, et omnis rationalis creatura scientiam accipit ad mensuram.

Res ut sunt, plene novit divina potestas,
Angelus assistens plurima vera videt.
Spiritus immundus natura pollet et usu,
Doctus et a sanctis plura videre solet.
Fallitur in multis privatus luminis usu
Et pater erroris fallere semper amat.
Corpora detrusas animas in carcere caeco
Culpaque sublato lumine scire vetant.
Culpa, caro tenebras inducunt, lumina pellunt
Nec miseras animas cernere vera sinunt.

Quod veritas lux est animae, ratio oculus.

Lux oculos pascit, rationem visio veri,
Hi fugiunt tenebras, haec quoque falsa cavet.
Est oculus menti ratio, pro lumine verum,
Usum cernendi lumina scire vocant.
Ingenio, studiis verum quaeratur et arte,
Praeter opinari non habet ullus homo.

Quod in pluribus utilis doctrina Platonis.

Non nocet errantem cautis audisse Platonem,
Qui male pauca docet et bona plura malis.
Docta manus cavet urticas herbasque salubres
Tollit et a spinis intemerata rosas.
Errores vitat ratio, sensusque pudicos
Cautus ab insanis absque furore capit.
Fortius evitat audita pericula prudens,
Nam provisa minus tela nocere solent.
Hinc sapiens audire cupit, quaecunque nocere
Possunt, ut caveat, quicquid obesse potest.

V. 1109. Arg. Quod in plur. etc. Lm, Doctrina Plat. in plur. ut. Hm.

De Endymione et dogmate ejus.

Cujuscumque rei firmetur opinio vera,
Hoc vetus Endymion censuit esse fidem.
Asserit errorem, si fiat opinio fallax,
Falsaque nesciri dicit et arte probat.
Falsum nescitur, quia nulla scientia fallit,
Nec permisceri lux tenebraeque valent.
Interdum veri specie falluntur inanes,
Votivaeque rei dulcis imago tenet.
Sunt quos nec verum, nec vero mulcet imago,
Sed vitii species falsaque sola juvant.

Quod veritas assimilatur soli, verisimilitudo lunae.

Est sol conformis vero, falsoque Selene,
Quae lucem simulat et maculosa manet.
Nam quod sub luna vanum, mutabile nutat,
Sed cura solem, fida quieta manent.
Regnat in excelsis verum, viget error in imis
Et fallit populos, quos vaga luna premit.
Clara super lunam superos veri tenet aula,
Inferius mundum nubilus error agit.

De Arcesila, principe Academicorum, et dogmate ejus.

Arcesilam sequitur Academia prisca docentem
Et genus humanum luce carere facit.

De Antisthene, Academico.

Doctior Antisthenes Academicus, omnia solum
Scire Deum dicit et ratione probat.
Asserit et superos quam plurima scire, nec omnes
Omnia, mortales paucula scire putat,
Haesitat in cunctis, nisi quae ratione probantur
Viva, cui stupor est non habuisse fidem.

Quid sit ratio viva.

Vivit enim ratio, quae per se nota patescit
Aut per se notis semper adesse solet.

V. 1119. Arg. Dogm. ejus Lm, ejus dogm. Hm. V. 1129. Arg. *Quod* deest in Hm, — assimulatur soli Lm, soli ass. Hm — Selene H, silena L. V. 1131. Pro *cura* fortasse legendum: *ultra.* Sensum etiam praebet, si *cura* pro imperativo sumis et post *solem* interpungis. V. 1137. Arg. totum deest in Hm.

Asserit haec sciri, dubitanter cetera tradit,
In quibus ex usu major habenda fides.
Nam solitus rerum cursus facit esse probanda,
Quae semper simili sub ratione vides.
Haec tamen interdum quoniam secus accidit esse;
Non sunt certa satis, nec tamen absque fide.
Ergo quod affirmat verum, putat esse necesse,
In reliquis dicit: credo vel esse puto.
Mensque modesta solet sic castigare loquelam,
Ut falsi nullus arguat esse ream.
Sic adjectivis sermonem temperat omnem,
Debeat ut merito semper habere fidem.

Unde Graeci Academicorum temperamentum in sermone acceperint.

Hinc etiam placuit Graecis modus ille loquendi,
Quem magni laudant a gravitate viri.
Conditione, die, causaque modoque coërcent
Verba, cavent nimia simplicitate loqui.
Sed quandoque dolus obducitur arte loquendi,
Verbaque pro rebus dat bona fictus amor.

Quod Romani Graecos imitantur in verborum temperamento.

Hunc morem sequitur civis Romanus, amicis
Verba dat, argentum sumit avara manus.
Distrahit ad pensum iudex adverbia cautus,
Nam pretium majus utiliora dabit.
Adjectiva suis pretiis aequata dabuntur,
Chartula vel calamus rarus inemptus erit.
Captat opes Crassus, ut eas convertat in aurum,
Et recoquit purum, possit ut esse putum.
Urbs vitiis corrupta suis corrupit et orbem,
Et caput aegrotum languida membra facit.

V. 1159. Arg. Acad. temp. Lm, temp. Acad. Hm. V. 1165. Arg. *Quod* deest in Hm, — imit. in verb. temp. Lm, in verb!. temp. imit. Hm.

Curia nam quaevis Graecos imitatur, et urbis
Esuriem sensit orbis, amator opum.
Inferior nullo Graecorum Varro fuisse
Scribitur, hunc patrem Roma vocare solet.

De Varrone et dogmate ejus.

Plura quidem nullus scripsit, nullus meliora,
Nec potuit quisquam deteriora loqui.
Mystica naturae pandit ritusque sacrorum
Officiumque Dei gestaque prisca patrum.
Numina virtutum, quae fingit, vanus adorat,
Et quot sunt pestes, tot putat esse Deos.
Plinius hunc sequitur in multis gratus uterque,
Sed tamen in multis pulsat utrumque fides.

De Plinio uno et altero.

Musaeum veterem praeclaris laudibus effert
Graecia, sed Varro, quod docet ille, refert.

De Musaeo, qui putatus est Moyses.

Ergo Varronem satis est legisse volenti
Scire, quid alteruter utilitatis habet.
Esse putant dictum Musaei nomine Moysen,
Qui leges hominum primus in orbe tulit.
Esto, sed aetatum ratio manifesta repugnat,
Vitaque dissimilis arguit esse duos.
Romanos Varro, Graecos Musaeus, Hebraeos
Instituit Moyses vivere more suo.
Errat Musaeus nimium, Varroque coerrat,
Sed Moysi mentem spiritus almus agit.

De Moyse, quod ipse sit fons scripturarum.

Plena sacramentis sic quinque volumina scribit,
Ut sit in historia sensus ubique triplex,
Ut pariter doceat pueros juvenesque senesque;
Quantum quisque capit, littera cauta docet:
Ubera dat natis, infligit verbera servis,
Et facit illorum colla subesse jugo,

V. 1185. Arg. uno et altero Lm, utroque Hm. V. 1197. Arg. totum deest in Hm.

Et licet involvat arcanis vera figuris,
Scindit vela tamen, et vetus umbra perit.
Inter philosophos vocat hunc gentilis agrestem,
Et tamen illorum maximus hoc minor est.
Hic scripturarum fons est origo piarum,
Quo de principio pagina sacra venit,
Fons aliis, aliis stagnum puteusve profundus;
Inde sitim reprimas, crescit et inde sitis;
Quod satis est, possunt omnes haurire, sed ipsum
Exhaurit plane nemo vel imminuit.

De Cicerone et dogmate ejus.

Orbis nil habuit majus Cicerone Latinis,
Cujus ad eloquium Graecia muta fuit;
Omnibus hunc Graecis opponit Roma vel effert,
Sed tamen hic dubium dogma probare solet.
Transiit huc tandem, cum se natura deorum
Angeret, ut dubitet, quid putet esse Deum,
Qualiter arbitrii libertas consona fato
Exstet, nam fatum si manet, illa perit;
Ut sibi conveniant casus fatumque repugnans,
Nescit, ob hoc vates ora tenere monet.
Nam genus humanum premit ignorantia veri,
Nec sinit in claro cernere vera die,
Quae si forte patent, obscura nube videntur
Nec falsi plene suspicione carent.
Scire Deum solum credit ventura, sed ipsum,
Quid statuat, nescit, sed tamen esse probat.
Non corpus putat esse Deum, sed corpore majus,
Quod nec homo sensu, nec caro bruta capit.

Quod res corporeae sensu, ratione vero comprehendentur incorporalia.

Solis corporeis sensus carnalis inhaeret,
Res incorporeae sub ratione jacent.

V. 1233. Arg. *Quod* deest in Hm — ratione vero comp. incorporalia Lm, incorporeae vero rat. comp. Hm.

Illum sola fides capit et dilectio vera
Naturamque sequi cultus amorque Dei est,
Quisquis enim satagit rationis jura tueri,
Naturam sequitur, servit amatque Deum.
Ille tamen cultus non est servilis habendus,
Sic servit matri filia, sponsa viro.
Et si vita foret Ciceronis consona verbis,
In summis poterat maximus esse viris.
Os hominis cuncti mirantur, non ita pectus;
Imperium linguae par fuit, imo minus,
Illius eloquio minor est Romana potestas,
Nam linguam pariter civis et hostis amant.
Quem magis evexit virtus, superat Ciceronem, Quod virtus eloquentiae praefertur.
Datque locum vitae lingua perita loqui;
Nam quamvis linguam formet, componet et actus,
Vivere praecipue philosophia docet;
Vivere sincere pars optima philosophandi est,
Qua sine quid prodest lingua diserta? nihil!
Namque diserta nocet, si sit deserta superno
Munere, prudentes quod facit esse viros.
Sed quantum prosit sapiens facundia, lingua,
Sit licet insignis, dicere nulla potest.
Ingenium Senecae commendat Quintilianus, De Senece et Quintiliano.
Sed tamen ejusdem verba stilumque notat,
Res queritur magnas frangi sermone soluto,
Dicendique genus arguit esse vagum.
Verbaque juncta parum sine calce vocavit arenam,
Dum peragit sensum clausula quaeque suum.

V. 1241. 1269. 1283. Arg. *Quod* deest in Hm.

Sed quamvis calamum tantus culpaverit auctor,
Obtinuit virtus et stilus ipse placet;
Vicit enim vitae gravitas et gratia verbi,
Et nova dicendi grata figura fuit.
Stoicus est acer, morum compendia captat
Verbaque semper habet sensibus apta suis.

Quod gentiles omnes superat Christianorum fides.

Sed cur gentiles numero, quos error adegit?
Omnis enim ratio deficit absque fide.
Christicolae soli sapiunt, et philosophantur
Vere, quos tibi dat pagina sacra duces.
Censeo Christicolas cultu, non nomine Christi,
Quem praestant homini vita pudica, fides.
Gratia multorum dabitur tibi vera sequenti
Dogmata, quae praestant moribus atque fide.
Non tamen haec illa produces tutus in aula,
In qua rara manet gratia, rara fides.
Pura fides non sola tamen placet omnibus, illa
Gratior est merito, quam bona vita fovet.
Est verae vitae fons pura fides, fideique
Vita boni mores: donat utrumque Deus.

Quod sanius est paucis placere bonis, quam multitudini stultorum.

Sed quia nemo potest stultis ratione placere,
Sufficiat gravibus te placuisse viris.
Vix indoctorum poterit quis ferre cachinnos,
Si non sit forti pectore, mente gravi.
Sannas et rhonchos geminat lasciva juventus,
Audit ab ignoto si nova verba libro.
Non fugies rhonchos linguasque, manusque procaces
Vix fugies, nisi sit, quo duce tutus eas.

1269. Arg. Quod gentiles etc. Lm, Christ. fid. sup. omn. gent. Hm. V. 1287 et 1289. rhonchos H, runcos L.

Qui jubet, ut scribas, solet idem scripta fovere,
Quaeque semel recipit nomina, clara facit.

De Theobaldo Archiepiscopo et Thoma Cancellario.

Ille Theobaldus, qui Christi praesidet aulae,
Quam fidei matrem Cantia nostra colit,
Hunc successurum sibi sperat et orat, ut idem
Praesulis officium muniat atque locum.
Hic est, carnificum qui jus cancellat iniquum,
Quos habuit reges Anglia capta diu,
Esse putans reges, quos est perpessa tyrannos;
Plus veneratur eos, qui nocuere magis.
Huic, qui priscorum mores legesque revelli
Praecepit, libitum pro ratione fuit;

De moribus Hircani.

Vicit avaritia Midam, feritate leonem,
Astutam vulpem fraudibus atque dolis,
Qui populum pressit, qui jus contempsit et aequum,
Quo lupus et tigris mitior omnis erat;
Plus sue pollutus, quovis petulantior hirco,
Venditor ecclesiae, proditione potens,
Sanguinis humani cupidus vindexque ferarum,
Qui titulo regis publicus hostis erat.
Ponitur exemplar legum populumque regendi,
Et bene vivendi formula certa datur.
Juvit eum pacis cultus, sed more tyranni,
Cerneret ut pedibus subdita cuncta suis.
Hoc sub rege lupus metuit suspendia pauper,
Absolvi dignus, si dare possit ovem;
Si dare posset ovem furtivam seu violentam,
Ablatam viduae, tunc erat absque nota;
Qui tondere pecus poterat lupus et dare lanam
Noverat, hic insons, hic ove dignus erat.

Non nocuit vulpi fraudem fecisse volenti
Cum pastore suum participare lucrum.
Vox erat auditu convicti digna latronis:
Dicens de regis utilitate loquar.
Nam fur, consortem qui regem ducit habendum,
Non perit et justos saepe perire facit.
Sed cruce dignus hic est, qui furto solus inhaerens
Non curat socius judicis esse sui.
Criminibus judex pretio sociatur avarus
Absolvitque reos immeritosque necat.

Quod Hircanus modernis pravitatibus et origiem dedit et auctoritatem.

Haec illo manant de juris fonte, quod olim
Tradidit Hircanus, officiumque suum.
Officium regi conforme fuit, quia mentem
Auctoris sequitur ingeniosa manus.
Julia lex illo dormivit rege sepulta,
Crimen adulterii nil nisi ludus erat.
Silvia Quartillae cessit, Lauronia Florae,
Syllaque dum viguit, nulla Sabina fuit.
Hic metui gaudens, dedignabatur amari,
Vicinos subigens munere, fraude, dolis.

De pace tyrannorum.

Illa tyrannorum pax est, ut nemo reclamet,
Quidquid agant, possint omnia, jura nihil.
Jura vacant, sacras leges evertit abusus,
Velle suum statuunt juris habere locum.
Tali justitia perhibent viguisse leonem,
Praepositum reliquis dicere jura feris.
Libertas haec est populi dominante tyranno,
Ut, quod praecipitur, quilibet optet idem.
Qui nimis optat opes aut cultum regis iniqui,
In scelus omne ruit, pronus ad omne nefas;

V. 1331. Arg. *Quod* deest in Hm — *et* ante *orig.* addit Lm — dedit et auct. Lm, et auct. dedit Hm.

Hostis censetur, quisquis sacra jura tuetur,
Praevenit officiis jussa fidelis amor.
Perfidiae genus est aliquid discernere jussum,
Et scelus est aliquod pertimuisse scelus.
Si virtus animum componit, formaque veri
Linguam, si foveat gratia mater opus,
Tunc vindex verae te libertatis amabit
Et faciet tutum qualibet ire via.
Hoc duce tutus eris in claustro, tutus in aula,
Tutus in insidiis, undique tutus eris.
Hic est, qui cleri pro libertate tuenda
Mandrogero gravis est complicibusque suis,
Mandrogero, qui se solum servare coronam
Et legum regni jacticat esse patrem,
Qui (si falsidicis credendum) jura tuetur
Integra, quo per eum regius exstet honor,
Mandrogero, nomen quem libertatis adurit,
Illud in ecclesia si quis habere velit.
Divitis ecclesiae libertas nulla carentem,
Hoste premit gravius regis iniqua manus;
Publica sic saevit tutoris honore potestas,
Ut quivis praedo mitior exstet ea.
In bona pupilli tutor grassatur iniquus,
Nec tutore dato nequior hostis erit.
Factio Mandrogeri licitum libitumque coaequat,
Quodque semel placuit, praedicat esse bonum.
Hoc auctore perit libertas ecclesiarum,
Antipatrique manus arma nefanda rapit.
Presbyteros tanquam patres populus veneratur,
Et fidei pars est jussa subire patris,

Qua ratione quis Cancellario placeat.

De Mandrogero

De Antipatro, et quare sic dicatur.

Vv. 1369—1374. in L margini sunt adscripti.

Jussa subire patris, praesertim recta jubentis,
Pro quibus expletis vita beata datur.
At ferus Antipater hos persequitur velut hostes
Intentansque dolos undique bella movet,
Hinc illi nomen datur Antipater, quia patres
Laedit et infligit damna necemque parat.
Sedulus in saccum pertusum congerit omnes
Christo subtractas, quas male quaerit, opes;
Ecclesiam servire jubet, clerum populumque
Decernit similem jure tenere locum.
Opprimitur clerus, privatur honore sacerdos,
Sed delatoris nomen ubique viget.
Publicus exactor summo praecellit honore,
Gratior ille tamen, qui mala plura facit.
Hi si forte volunt aliquid pervertere, dicunt:
Dedecus hinc regni vertitur, inde decus.
Princeps non cupidus meriti, sed laudis avarus
Praecipuum sine re nomen honoris habet,
Non curat, quid honor, sed quid videatur honestum,
Nec bona vera placent, sed juvat umbra boni.
Sic ratio sub praetextu caecatur honoris,
Vanaque dum petitur gloria, vera fugit.

De vera gloria et vana.

Gloria virtutem sequitur, non laudis amorem,
Et semper meritis est sociata bonis.
Laude probus claret potius, quam laudis amator,
Contra polluto nomine sordet iners;
Foetor enim sordes vitii comitatur et horror,
Et virtus grato replet odore bonos,

V. 1403. Arg, De vera gloria etc. Lm, de vera et vana gloria Hm.

Sed virtutis odor est illis perniciosus,
Quos agit Antipatri perniciosa manus.
Foetet barbaries, quae nulla lege tenetur,
Foetet odore gravi carnificina vetus.
Carnificina vetus est aula subacta tyrannis,
Est domus Antipatri carnificina vetus.

Quod domus tyrannorum carnificina est.

Tollitur e medio sacrae reverentia legis,
Carnificum scitis dant sacra jura locum.
Exigit a cunctis munuscula Sporus, at illa
Si dederis, perdes; nil dabis, hostis eris.
Si sit amicus, obest, si non sit, quaerit obesse,
Quidquid agas, oberit, aut volet esse nocens.
Rem fortasse tuam poteris servare, sed ejus
A vitiis animum non revocare potes.
Munus amicitiae speciem producit, at ipsam
Rem gignit virtus vera, probatque fides.
Augetur tamen obsequiis, sumitque vigorem,
Nam probitas meritis praemia digna refert.
Dinomaches et Polydamas dominantur in aula,
Nil Cato, nil Curius, cuncta Photinus agit,
Cuncta Photinus agit Labeone sibi sociato:
Horum vita scelus, singula verba doli.
Thrasonis fastum gestusque videre molestum est,
Quem vix ferre potest munere capta Thaïs.
Vir gravis hic, visu gravis est gratusque Sabinus,
Dum puer et tener est non fruticante pilo.
Tristior haec cernit juris defensor et artem,
Qua ferat auxilium consiliumque, parat.

Quod cancellarius se conformat uultis, ut revocet ab errore.

V. 1410. Het *perniciosa* posterior manus L, *exiciosa* prior manus L. V. 1413. Arg. Quod domus tyr. carn. est Lm, Tyr. aula carn. est Hm. V. 1420. Quidquid c, Quicquid, ut v. 1598. in L et H. V. 1433. his L, hic H. V. 1435. Arg. Quod deest Hm — cancell. se conf. etc. Lm, aul. se conf. ut ab err. rev. Hm.

Ut furor illorum mitescat, dissimulare
Multa solet, simulat, quod sit et ipse furens;
Omnibus omnia fit, specie tenus induit hostem,
Ut paribus studiis discat amare Deum.
Ille dolus bonus est, qui proficit utilitati,
Quo procurantur gaudia, vita, salus.
Balbutit nutrix, ut linguam formet alumni,
Et verum ficto cauta dolore fugat,
Lascivum risum lacrimis compescit obortis
Et teneros sensus decipit arte pia.
Excitat ad lacrimas facies lachrymantis amicum,
Et facies hilaris gaudia saepe facit.
Fortius ut miles pugnacem conterat hostem,
Dux facit armatus, dum fera bella gerit.
Miles ab exemplo ducis hostes acrius urget,
Dux fugiat, miles dat quoque terga fugae.
Provocat affectu discentes officiosus
Doctor, ut effectum possit habere labor.
Nemo libens audit suspecti verba magistri,
Quae, licet aspera sint, dulcia reddit amor.
Illaqueat citius homines et valdius arctat
Formula vivendi, quam gravis auctor amat.
Hac igitur ratione tui mens sana patroni,
Ut patienter eum perferat aula furens.
Conciliare studet sibi conviventis amorem
Turbae, ne peragat ebria mortis iter.

Quod multi successus ausum dederunt errori.

Ebria fortunae donis nova curia rege
Sub puero credit cuncta licere sibi.
Insanire putes aeque juvenesque senesque,
Insanit judex officiumque suum.

V. 1445. obortis H, abortis L. Vv. 1463 et 1475. Arg. *Quod* deest in Hm.

Curia nugaces solos amat, audit, honorat,
Artes exosas aulicus omnis habet,
Artes virtuti famulantes aulicus odit,
Sed famulas carnis aulicus omnis amat.
Hos aulae mores funambulus intulit ille,
Qui, quod praesumit, lege tuetur avi.
Qui sapiunt nugas et crimina, lege vocantur,
Qui recte sapiunt, lex jubet ire foras.
Ergo quos ratio directa nequit revocare (Quod in correctionibus insinuatione utendum.)
A vitiis, revocat insinuantis opus,
Nam sicut verbi, sic insinuatio vitae
Saepe reluctantes ad sua vota trahit.
Fortior est vitae, quam sit persuasio verbi,
Nam paribus studiis conciliatur amor;
Conciliatus amor animos ligat, imperat, urget,
Ut duo non duo sint, quos pius unit amor.
Sic amor ad quaevis sanctus bona cogit amantes,
Nam facit hic votis, quod facit ille manu.
Sed vereor, frusta ne cancellarius instet,
Ut mutet mores aula superba suos.
Mundus enim lucris inhiat, juvenesque senesque
Muneris incestat imperiosa fames
Excaecatque viros, quibus est collata potestas,
Tendat ut ad sordes quaelibet ampla domus.
Aestus avaritiae sapientum corda perurit,
Polluit ecclesias, sancta profana facit.
Orbis amatores omnes hac peste laborant,
Aeris contemptor rarus in orbe manet.
Haec ubi, quando, quibus vel qualiter insinuentur,
Cura, ne pereas garrulitate tua.

V. 1475. Arg. *est* addit Hm ante *utendum*.

Est indocta loqui, quae nescit lingua tacere,
Floccida, quae verbi nescit habere modum.
Sunt nugatores inimici, suntque tyranni
Falsus philosophus, ganeo, scurra tibi;
Quos agitat cachethes scribendi, quosve loquendi,
Qui vitiis sordent, quos levis aura fovet.
Horum tendiculae dicenti vera parantur,
Et nisi praecaveas, publicus hostis eris.
Assertor veri personam nescit amici,
Decernit meritis praemia nulla viris,
Personis parcit, iudex in crimina saevus,
Et vitii labem semper ubique notat.
Aut taceas prorsus aut pauca loquaris in aula,
Aut quaeras, in quo rure latere queas,
Nam si non parcis verbis, nemo tibi parcet,
Praevenietque dies impia turba tuos.
Sub duce praefato si forte recedis ab aula,
Sospes et ut tutus quolibet ire queas,
Pauca tui tandem stillabis in aure patroni,
Quae recolens nequeat immemor esse sui.
Lex divina bonis vivendi sola magistra,
Non veterum ritus, qui ratione carent.
Pervigil hanc studeas cura servare perenni,
Nam servatores servat et ipsa suos.
Lex humana, Dei si sit contraria legi,
Auctorem damnat, quo pereunte perit.

Quod leges civiles comparantur aranearum telis.

Retia solvuntur leviter, quae texit arachne,
Arte tamen mira fila coire facit;

V. 1501. cachetes H, cocoëthes Hm, chachetes L. Vid. comm. Vv. 1523 — 1530. In L margini sunt adscripti. V. 1523. Arg. Quod leg. civ. comp. etc. Lm, Leg. civiles comp. Hm.

Impediunt eadem muscarum corpora parva,
Magnaque si veniant, quolibet ire sinunt;
Sic, Anacharsis ait, cohibent civilia jura
Invalidos, magnis quolibet ire licet.
Non ita lex aeterna potens torquere potentes
Atque fovens humiles, quos videt esse pios.
His dictis abeas jubeasque valere patronum,
Natalique solo te revocante, redi.

De diversitate hospitiorum et hospitum.

Quanta fides sit in hospitiis, inquire viator,
Nam res in pretio est, vilis ubique fides.
Hospes in insidiis sedet hospitibus peregrinis,
Et malus anditor singula verba notat.
Linguaque si profert verbum leve sive jocosum,
Mantica si paucis rebus onusta jacet,
Involat aut rebus aut verba recenset iniquus
Hospes et interpres perniciosus erit
Et testes adhibet Bavium vanumque Dolonem,
Ut pereas rebus, aut tua cuncta tibi.
Si sit vera fides et honestas pura domorum,
Est vultus hilaris, officiosa manus,
Defectum rerum verbis vultuque faceto
Hospitis instaurat cura cliensque bonus.
Non quaecunque domus titulum praetendit honoris,
Rem tenet, aut meritis est veneranda suis;
Sed quemcunque vides in Christi laude sacratum,
Quisquis eum teneat, dignus honore locus,
Et quoniam capiti respondent consona membra,
Et domus est domino concolor ipsa suo.
Si veneranda domus te duxerit accipiendum
Hospitio, vel si forte ministrat opem,
Quis bona dispenset, prudens adverte, sub illo
Stat fortuna domus et color ipse loci;

Nam bona fama perit, si rusticus est vel avarus,
Frontis ab urbanae munere fama viget.
De Carino. Infelix domus est res dispensante Carino,
Hospes et hostis agunt conditione pari.
De Catio. Fronte gravi Catius vitam mentitur honestam,
Cauda tamen, quid sit, indicat atque gula.
De Corydonianis. Qui Fabium gestu, verbi gravitate Catonem
Exprimit, humanum cum Corydone sapit.
Sordet iis clerus, vitae communis adhorrent
Nomina, se solam secta superba probat.
Unde tamen populus sibi commoda quaerit et isti,
Quos pariter fallit utilitatis amor?
Pane, mero, pannis vulgato more fruuntur,
Et placet, ut nobis, lauta culina sibi.
Divitias captant, juvat absque labore voluptas,
Et capit interdum blanda latensque Venus.
Seria nunc agitant, modo cedunt seria nugis,
Et stomachum placat hostia grata gulae;
Escas dat commune forum, potumque taberna
Communis, vestes una ministrat ovis,
Sed de communi vestes alimentaque sumunt,
Dummodo communis cerdo sit atque coquus;
Nam sibi formari vestes victumque parari
Lautius, exposuit nomen honorque domus.
De Bavianis et Mevianis. Consonat erranti Bavius, benedicta remordet
Mevius, oblatrant; error utrinque gravis.
Quilibet istorum dat sectae nomen, et auctor
Exstat iis, quos tu saepe videre soles.

V. 1561. *Catius* et Arg. *Catio* ut v. 1586 *Catium* a me emendatum ex Cic. ad Fam. XV. 16; *Cacius*, *Cacio*, *Cacium* L et H. V. 1565. iis H, eis L.

Mevius et Bavius semper caveantur ut hostes,
Et fugias Catium cum Corydone suo.
Quem vitare nequis, studeas placare Carinum, De Carinianis.
Cujus ab arbitrio sors tua saepe venit.
Illi paucorum satis est meruisse favorem,
In quorum ventres lauta culina ruit,
Quorum cura penum solet evacuare bibendo,
Et bona marsupiis publica tecta latent.
Hi metuunt sumptus faciemque viantis amici,
Nam meretrix illis plus peregrina placet.
Ergo quid expectas, ut sit tibi commodus hospes,
Cui nisi colludat, nulla puella placet?
Sed quia turpe nimis peregrini lite moveri, Qualiter versandum apud hospites.
Hospitium quidquid dicat, habeto modum;
Et ne suspectum quis possit habere rigoris,
Sit tua jucundis lingua referta jocis,
Sintque sales sine dente tui, sit lingua modesta,
Compositus gestus, vita pudica tibi!
Sit bonus auditor patiens et tardus ad iram,
Sitque cliens humilis, qui volet esse tuus.
Hospitibus gratus sumptus moderare suboptans,
Ut dignam valeas cuique referre vicem,
Et benefactorum reddatur gratia plena,
Quae bonus interpres singula magna facit.
Vir bonus et prudens modo res conservat ad usum
Et modo dispensat et docet esse suas,
Quaerit, ut expendat, cum causa locusque requirunt,
Servatasque diu tempore spargit opes
Et sumptus gaudet fecisse locoque modoque;
Stultus in expensis nescit habere modum,
In proprio parcus et prodigus ex alieno,
Quam solam captat Chaerea, laude caret.

Hospitio non est oneri, quicunque modestus
Contentus modicis sumptibus esse potest.
In summa videas, cum quo tibi res sit agenda,
Et quantum poteris, moriger esse stude.
Hoc, quantum poteris, dictum sic accipe semper,
Ut sit honestatis regula salva tibi.

Quod mendaces et bibuli fugiendi.

Mendaces itidem fugies, bibulosque cavebis,
Et quibus est venter sive Laverna Deus.

Qualem oporteat habere comitem.

Sit suspecta Venus, sit sobrius atque pudicus,
Quem comitem longae quaeris habere viae.
Commodius nihil est servo socioque fideli,
Nullus in obsequio commodus absque fide.

Quae expensa ubique necessaria.

Est expensa viae quaerenda tibi, dabit illam
Morum fama, gravis actio, sermo placens.
Quo magis haec abeunt in sumptus, et mage crescunt;
Nummus in expensam non rediturus abit;
Hi, quocumque voles, poterunt perducere sumptus,
Usu nam crescit ista moneta suo.
Ergo via, quocumque placet, securus abibis,
Sed tamen ad patriam dulcius ire tuam.

Quod Cantia caput regni, et qui ibi cavendi, qui non.

Pontificum regumque parens te Cantia fovit,
Hospitiumque tibi praeparat, immo domum;
Haec petit, ut redeas et in illa sede quiescas,
Quae caput est regni justitiaeque domus.
Parebis matri praesertim recta monenti,
Quaeque tuos tendit perpetuare dies.
Intrabis claustrum, sed, si potes, absque cucullo,
Ut post, si libeat, egrediare tuus.

Vv. 1623—1637. Arg. *Quod* deest in Hm.

Invenies illic, qui semper scire laborant,
Et quibus est grandis poena carere libro;
Sunt alii, qui sic sapientum scripta licentur,
Ut non semissem cuncta valere putent.
Legis amatores adeas et scripta colentes,
Contra nugaces nummicolasque cave.
Quas contemnit opes sapiens, admittit ad usum,
Quaerit et interdum, non tamen absque modo.
Frustra quaerit opes, quia non satiatur, avarus,
Quamvis, quicquid habet, conferat ipse Deus.
Nummus ei Deus est, qui semper torquet amicos
Et solet aeternam perpetuare famem.
Gratia rore suo nocuum restringit amorem,
Sed cupidam mentem non facit absque fame.
Omnia posse Deum notum satis est, sed avarum,
Sit licet omnipotens, non satiare potest.
Nequius hoc nihil est, quia nulli parcit agitque,
Ut sit cum reliquis semper et ipse miser.
Nequior est aliis, qui verbis Gillia, rebus
Demea, Flaminium vivit, agitque Numam.
Tantalus est auctor cupidis, est auctor avaris
Perpetuaque siti deperit atque fame.
Invenies laetum Britonem, si caseus adsit, De Britone.
Plus tamen interdum gaudet adesse libros.
Nam quantum patitur Britonis natura vel ordo,
Indulget studiis carminibusque vacat;
Dispensanda domus illi commissa resurgit,
Atque mali species hoc veniente fugit.

V. 1648. semissem Hm (correctio), setussem L et H. V. 1667. adsit H, assit L. V. 1668. libros L et H, libris Lel. V. 1670. studiis L et H, libris Lel.

Non amat hunc Balathro, non Davus, Pamphilus odit,
  Cuique nihil gravius, quam residere domi.
De Odone. Odo libris totus incumbit, sed tamen illis,
  Qui Christum redolent, gratia major inest,
Hic gravis Eumolpis; Encolpius hunc et Adonis
  Cum Gittone cavent, et Venus ipsa timet.
Cauta manus Britonis, Odonis et aùrea lingua,
  Dum Christum loquitur: plenus uterque fide.
Hi tibi sint comites, illis tua cuncta revela,
  Nam Brito, quod ludis, quod sapis, Odo probat.
De Querolo. Plautinum Querolum miraris ubique videri,
  Mancipio tali non caret ulla domus;
Non illum placare potest fortuna, Deusve,
  Quin forti semper detrahat atque Deo.
Divitibus cunctis videas adstare volones,
  Ut modo nec Gnatho possit habere locum.
Si doleat dives cupidus spoliante volone,
  Quis doleat? satis est, quidquid avarus habet.
De Zoilo. Computat expensas servorum, facta revolvit
  Zoilus, ut domini stillet in aure sui.
Ergo fidelis erit, quia sumptus pensat heriles?
  Non, sed adulando quaerit et auget opes
Fureque deterior, cui res extrinseca cordi est,
  Ut mentes proprio lumine fraudet, agit,
Nec rebus parcit, stulto quas tutius aufert;
  Nam sapiens vigilat et sua damna cavet,

V. 1673. Balathro L et H, Balathus Lel, Davus L et H, Danus Lel. V. 1674. cuique L et H, cui Lel. V. 1683. Arg. De Querolo Lm, De Plauti Querolo Hm. V. 1690. quidquid H, quicquid L. Vv. 1691—1716. in L et H margini sunt adscripti. V. 1697. parcit L, parcet H.

Dicit enim, dum fallacem cupidumque repellit,
Assentator, abi, Zoile, te video.
Miraris famulos aulae cessisse Matoni; De Matone
Hoc mens plena dolis, hoc mala lingua facit,
Hoc auditorum levitas, ut tressis agaso
Possit ab ingrata pellere quemque domo.
Credulus auditor fidi vetulique clientis
Immemor est et amat semper habere novos.
Nam quotiens facili pede vilis in aure susurrat,
Toxicat interius cordis et oris opus.
Aetates, mores, fortunas, conditiones
Versat et appendit garrulus ante focum.
Ejus ab arbitrio dominus male sanus et excors
Aut beat aut torquet, odit amatve suos.
Infelix igitur domus est et poena bonorum,
Quae rectore carens sub ciniflone gemit,
Infelix equidem nimis est et praeda volonum,
Quae rejicit veteres non fruitura novis.
Stellio de furtis maculam contraxit inanem,
Nec est fur, ex quo destitit esse reus.
Subjacet invidiae stimulus sors laeta, miserque De vitio invidiae et cura ejus.
Solus ab his liber, solus et hoste caret.
Livor edax alios dum laedere gestit et ignes
Excitat, imprimis uritur igne suo.
Confoditurque suis stimulis, se dente cruento
Rodit et impulsu deperit usque suo.
Nemo valet morsus rictumque cavere caninum,
Quos schola, quos claustrum, quos fovet aula nocens.

V. 1700. abi L, dubium, utrum *abi* an *ubi* in H. V. 1719. Arg. cura ejus Lm, ejus cura Hm.

Hos humilis cautela fugit virtusque probata,
Sed tamen interdum livor utramque ferit.

De Euphorbianis.

Non est apta loqui, sed sordes lingere nata
Lingua loquax, semper ad maledicta procax.
Euphorbi rabies hac peste laborat agitque,
Gratia ne vigeat sive fidelis amor,
Ne qua domus pacem teneat, ne claustra quietem:
Curia ne quaevis tuta manere queat.
Lingua nocens planos incrustat, sancta prophanat
Semper et in cunctos toxica saeva jacit.

De Baccara.

Quicquid habet, quaecunque potest, exponit et offert
Baccara teque suis rebus egere vetat,
Grandia promittit, nec parva daturus, amicos
Sic beat, ut nullam sumat egenus opem.
Si petis auxilium, negat hoc, si consulis, haeret;
Ergo quid expectas? Baccara semper erit.

De Davo.

Garrulitate, dolis conturbans omnia Davus
Omnibus illudit, risus et ipse domus.
Sergiolum cernis gestu promittere Scaevam,
Expecta modicum, Sardanapalus erit.

De schola Thersitae.

Thersitae similes producit curia multos,
Quos schola, quos urbes, quos fora vana ferunt,
Quos aluit pagus, quos mittit barbara tellus,
Quos Venus in thalamis, castraque Martis habent,
Quos etiam mittunt vivaria rupta virorum,
Quum Venus impellit, cumve Laverna trahit.

Quod mores attendendi.

Depinxi mores hominum, quo cautior esses,
Nam pro persona quisque colendus erit.

Moribus est tribuendus honor cultusque probatis,
Et merito fidei conciliatur amor.
Nam solet interdum vis extorquere timorem,
Sternit et invitos atque subesse facit,
Serviat ut nolens aliis captiva voluntas,
Territa verberibus et stimulata minis;
Sed perfectus amor procul hunc facit esse timorem,
Nam facit ingenuum quemque pudicus amor.
Libera philosophi vita est et libera lingua, Quod libertas philosophum decet.
Est libertatis auctor utrique Deus.
Ergo philosophus colit hos, quos credit amicos,
Aut quos a vitiis posse redire putat.
Non homines, hominum sunt umbrae, quos habet orbis
Brutescens vitiis, cum ratione caret.
Quid tibi cum larvis sapientum dogma sequenti?
Dicent, ni fugias, ocius ito foras.
Plena supercilio si turba repellit, abito Quod locus vitia non excludit.
Et contemptores spernere disce tuos.
Nec tibi sit curae, si contemnaris ab illis,
Quos captos mundi retia vana tenent.
In claustro capitur, quem torquet amor vitiorum,
Nam paries claustri pervius exstat iis;
Irrumpunt arces, nullamque resistere posse,
Si semel insurgant grandia, scito seram.
Non adamas obstat vitiis, non ferreus agger,
Non aqua, non fossae, sed nec iniqua palus.

V. 1755. probatis L, probalus H. Vv. 1763 et 1771. Arg. *Quod* deest in Hm. V. 1776. iis H, eis L.

De triplici obstaculo vitiorum.

Ergo tam saevi qua possunt arte repelli
Hostes? aut quid eos cogit inire fugam?
Si timor ante fores, et si pudor atria servet,
Et si castus amor interiora tenet,
Devitat pœnam timor officiosus et omne,
Quod, nisi praecaveat, posse nocere putat.
Nominis ingenuus maculam pudor arcet, odores
Spargit ubique bonos, unde placere queat.
Castus amor rebus sic semper adhaeret honestis,
Quod nec vis major dissociare potest;
Virtutes locat in castris, sic omnia munit,
Ut nullum possit hostis habere locum.
Sed timor in servo, valeat dum poena caveri,
Ad facilem quaestum cedet eritque nocens,
Et famae custos, dum possit culpa latere,
Consentit vitiis absque rubore pudor.
Non sic verus amor, qui casu fidus in omni
Virtutem solam gaudet inesse sibi.
Ob causas varias quaeruntur caetera, virtus
Se contenta sui praemia semper habet,
Omnia virtuti fatalia commoda cedunt,
Virtutis fructus est in amore pio.
Sicut casta fidem cupiens servare marito
Conjunx declinat et studiosa fugit,
Ne corruptori pateat locus ullus ad ipsam,
Aspectum, risus, munera, verba, jocos
Contemnens, meritum et nomen moechantis abhorret:
Sic omnem culpam sanctus abhorret amor.

V. 1781. Arg. obst. vit. Lm, vit. obst. Hm.

Gratia sola pium parit et confirmat amorem,   De gratia et libero arbitrio.
Cui timor inservit ingenuusque pudor.
Illud sola nihil meritum non asserit esse,
Nam bona, quae facimus, spiritus intus alit,
Istud sola docet, quoniam, si gratia desit,
Ad bona naturae nisus inanis erit;
Istud sola docet, quod causa sit una salutis
Gratia, quae meritum provehit atque parit.
Arbitrium carnis est gratia, mentis imago,
Mente caro vivit arbitriumque Deo.
In cineres caro lapsa redit, si spiritus absit,
Hoc abit in terram destituente Deo.
Vermibus esca datur foetens caro mente remota,
Hoc cibus est foetens vermibus absque Deo.
Quaelibet admittit, si desit gratia, fastum   Nulla secta sine gratia libera a fastu.
Secta, nec haec arcet parva vel ampla domus;
Non facit, ut sapias, habitus nomenque magistri,
Nec convivarum turba beare potest;
Non caput attonsum, non vestis pulla vel alba
Te trahit ad vitam, gratia sola trahit;
Nam stulti possunt in quavis veste perire,
Redduntur vitae praemia nulla togae.
Oderunt verum, quod honestas sanxit, abhorrent,
Unde fit, ut caeci praecipitesque ruant.
Excipit Infernus pereuntes veste remota,
Nec minuit poenam tetra vel alba suam.
Saepe diu multum monui, nunc accipe pauca,   Benedictio viatoris.
Quae bene dum servas, res tibi nulla nocet:

V. 1823. Arg. Hm addit: *libera a fastu*, quae verba desunt in Lu.

Flecte genu, submitte caput, benedictus abito,
Saepe maturis profuit ista manus.
Verba Dei forment animum, linguamque refraenent,
Sint eadem vitae formula certa tuae;
Diriget affectus, linguam componet et actus
Gratia, si tribus his causa sit una Deus.

Quid liber auctori debeat.

Cuilibet auctori debentur jure perenni
Obsequium, cultus, officiosus amor.
Cum tenearis, ad haec animum lectoris amici
Auctori studeas conciliare tuo,
Et quoscunque potes, inducere perge fideles,
Ut pro me Christum sollicitare velint.
Sed quid multa moror? properas exire; videto,
Quid facias; coeptum perfice cautus iter;
Ut valeas, memor esto tui; si gratus haberi
Vis, cura semper vivere lege Dei.

In L ad finem adscriptum est: Explicit Entheticus magistri Johannis de Sarisberia de dogmate philosophorum, editus ad Thomam Cancellarium.

COMMENTARII

V. 1—22
DE CARMINIS PROOEMIO, CONSILIO ET RATIONE.

Argumentum libri praemissurus, ut v. 10 aperte docet, non Thomam cancellarium, sed ipsum libellum alloquitur, id quod etiam in Euthetico fecit, a quo Policraticus incipit. Duplex est argumentum, quod primo versu indicatur: primo dogmata veterum philosophorum usque ad versum 1268 persequitur, deinde fructum studiorum exponit in moribus aulicorum perstringendis, qui ut caveantur et vitentur, hortandum censet. Videmus consilium libelli fere idem esse atque Policratici, qui etiam *„De Nugis curialium* i. e. aulicorum *et vestigiis philosophorum"* inscribitur, quamquam inverso ordine: eadem ibi tractantur argumenta, sed quae hic ad Angliam et praecipue ad Oxoniam referuntur, illic magis in genere proponuntur, quasi ad plurium illa aetate terrarum conditiones pertineant. Ad opus susceptum perficiendum v. 3—6 in auxilium vocat Spiritum Sanctum, quia philosophiam minus e ratione humana, quam e gratia Divina ortam, neque a solis philosophis, sed etiam e Scriptura sacra petendam arbitratur. Hoc socio eo magis indiget, quia aulicorum levitatem et pravitatem v. 7 et 8 sibi timendam esse persuasum habet. Consilium libelli altius repetens hunc iterum alloquitur nono verso et decimo, quorum partes ad verbum ex antiquis poetis deprompti sunt. Versus nonus in memoriam revocat Horat. Sat. I. 9, 62 et II, 4, 1, versus decimus dubito utrum ad Ovidii potius, an ad Martialis imitationem sit expressus. Inducit deinde auctor v. 11—22 ut sorores Alethiam et Phronesin ratione allegorica, quam longius persequitur Metal. IV, c. 11—29. Sufficit inde afferre capitis primi partem;

„*Et quia Veritas Prudentiae materia est, (nam in veri comprehensione laborat) finxerunt antiqui Φρόνησιν et Ἀλήθειαν esse germanas, eo quod Prudentiae cum Veritate est quaedam Divina cognatio.*“ Reperis apud Martianum Capellam (in Nuptiis Mercurii et Philologiae lib. II p. 28 et 33 ed. Lugd. Bat. 1599, 8) hanc allegoriam, cuius origo repetenda est ex doctrina Gnosticorum de Aeonibus apud Tertullianum in libello „*adversus Valentinianos.*“ In harum sororum moribus describendis poeta rursus ad libellum se convertit optans, ut illae sibi et meditationes (curas) et dictionem suppeditent, v. 19, et ipsum libellum gravibus viris commendent, v. 20, per totum denique librum perseverent et dictionem cuique rei aptam reddant, v. 21. 22.

V. 23—164.

DE PHILOSOPHIAE CONDITIONE ET COMMERCIO INTER PARISIOS ET OXONIAM.

Et procul et propius jam Francus et Anglicus aeque
Norunt, Parisiis quid fecerint Oxoniaeque.

Wood Hist. et Antt. univ. Oxon. I, p. 84, ad a. 1231,

Ut veterum philosophorum systematis adumbrandis suam exponat doctrinam, viam sibi parat a philosophia aetatis suae depravata. Initium capit a trivio, quod grammaticen, rhetoricen et dialecticen complectebatur, quas non singulas describit, sed conjunctas tractat, ita tamen ut prius de logice, ordinis effectrice, disserat v. 25—131, deinde ei grammaticen v. 132—164 et quodam modo etiam rhetoricen subjungat, quamquam de hac postea demum diserte agit, ubi (a versu 164 inde) veram philosophandi rationem tradit. Logica quid valeat, dicturus, non ipsius vim et naturam

exponit, sed faciem philosophantis depingit (v. 25. 26.) i. e. philosophorum, qui sua aetate Oxoniae praevalebant, perversam rationem exagitat, vituperans, philosophos verba captare, non sensum (v. 27—40), quem ea tantum conditione percipi et exprimi posse docet, ut grammatices leges observentur (v. 33 et 34), et vanae subtilitates viteutur (v. 36—40). Nimiam hanc subtilitatem cum ostendit conjunctam esse cum grammatices veterumque scriptorum et omnis reconditioris doctrinae contemtu, huius depravationis auctores significat Adamum de Parvo ponte v. 49, Robertum Melidunensem v. 55 et Albericum Remensem v. 56, ita tamen, ut non ipsos, sed asseclas eorum, vitia potius quam virtutem aemulantes, vanitatis accuset. Illos enim, quos ipse magistros aut amicos habuerat, magni ingenii doctrinaeque haud vulgaris fuisse non negabat, quamquam ab eorum sententia, cum haec scriberet, abhorrebat eamque subtiliorem et minus sinceram putabat. (Cf. Metal. II, 10.). Cui quidem persuasi, hoc carmen Oxoniae esse compositum, is facile concedet, illos, quos significat, magistros non ipsos exagitari posse, quippe qui nunquam in Anglia docuerint. Sed ut totus hic locus omnino intelligatur, philosophiae, qualis tum obtinebat, memoria longius erit repetenda. Philosophi vel theologi, qui non a philosophia abhorrebant, iu duas potissimum sectas tum discedebant, Platonicos et Peripateticos. Illi, quos etiam mysticos vocaveris, cum doctrina Christiana Neoplatonismum quodammodo, Augustini potissimum exemplo, miscentes, severiores et plerumque doctiores inanem disserendi rationem respuebant, sicuti Hugo et Bernhardus a Sancto Victore; hi omnes quidem Aristotelis auctoritatem prae se ferebant, sed non omnes, ut Abaelardus, verum indagandi studio ducti, etiam eruditionem magni faciebant; erant enim, qui vanae gloriae cupidine capti non nisi captiosas subtilitates quaererent. Ejusmodi homines Parisiis Abaelardi auctoritate cedere coacti Oxoniae fortunarum suarum sedem videntur collocasse. Ibi etiam vel vanitate intellecta, vel bellis civilibus dissipati, vel Roberti Pulleini gravitate superati aliquamdiu evanuerant. Sed Parisiis post Abaelardi mortem schola exstiterat inter utrosque medium tenens illa Adami, Roberti Melidunensis et Alberici, qui non multo post

Petro Lombardo cesserunt. Adamus postea Lombardo videtur se applicuisse, Albericus Bononiae sententiam mutavit, Robertus vero cum Parisiis dignitatem suam tenere non posset, Melidunum se contulit. Horum asseclae cam Parisiis frustra opes captassent, Oxoniae, cum Robertus Pulleinus Romam vocatus et Cardiualis factus esset, factionem sibi parasse videntur. Instar omnium auctori nostro fuit Cornificius ille pseudonymus, quem in Metalogico aggreditur, cui potissimum libro etiam harum rerum notitiam debemus. Nemo vero Johanne nostro accuratius hanc rerum conditionem nosse potuit. Ipse enim ab Abaelardo ad Robertum Melidunensem et Albericum Remensem se converterat. Horum scholis relictis magno cum fructu Wilielmo de Conchis tradiderat se in disciplinam. Postea iu Adami familiaritate aliquamdiu versatus et in Angliam reversus ibique Gilberti et Roberti Pulleini auditor factus in horum sententia remansit et dialecticae fallacias aspernatus ad Hugonis et Richardi a Sancto Victore exemplum se conformabat, qualem doctrinam etiam in nostro carmine profitetur. Haec omnia si aat per se manifesto apparerent, aut ab aliis ex vetustatis tenebris eruta essent, ad horum auctoritatem provocassem. Sed quamquam Huber (die Engl. Univers. I, p. 97.) hanc Oxoniae conditionem et cum Lutetia commercium conjectura vel mentis acumine assecutus est, tamen litterarum illo tempore culturum historia neque aperte tradita, ueque jam a quoquam satis accurate est pervestigata et composita. Quae cum ita sint, vix ut fides mihi habeatur, fore sperare possum, nisi quae brevius adumbravi, argumentis et testimoniis additis, probavero.

Doctrinam illam vauam, a Cornificio nuncupatam, quam nostro loco et in Metalogico impugnat, jam multo ante etiam Parisiis floruisse postquam tradidit (Metal. I. c. 3), de priore eius interitu vel intermissiona c. 5 haec refert: *„Solebat magister Gilebertus, tum quidem cancellarius Carnotensis et postmodum venerabilis episcopus Pictavorum, — eis artem pistoriam polliceri. — Sed et alii viri, amatores litterarum, utpote magister Theodoricus, artium studiosissimus investigator, itidem Wilielmus de Conchis, grammaticus post Bernardum Carnotensem opulentissimus, et Peripateticus*

Palatinus [Abaelardus], qui logicae opinionem praeripuit omnibus coaetaneis suis, adeo, ut solus Aristotelis crederetur usus colloquio, se omnes opposuerunt errori. Sed nec universi insanientibus resistere potuerunt, insipientes itaque facti sunt, dum insipientiæ resistebant, et erronei diutius habiti, dum obviare nitebantur errori. Verum tamen fumus ille cito evanuit *et praedictorum opera magistrorum et diligentia redierunt artes et quasi jure postliminii honorem pristinum nactae sunt et post exilium gratiam et gloriam ampliorem. Invidit Cornificius et turpe reputans, ut senex mitteretur ad scholas et ut sensu puer appareret senex aetate, culpare cœpit, quod se posse insequi desperabat"* etc. Ita ad huius sectae conservatorem vel instauratorem perventum est, cuius cum celeberrimis philosophis simultatem deinde longius persequitur. Cui etsi se applicuisse dicuntur (c. 4.) omnes eius sectae reliquiae, tamen hoc carminis nostri loco legimus, quorum e scholis exierint vel quorum doctrinis vires recolligerent isti Cornificiani. Albericum vero Remensem, Robertum Melidunensem et Adamum de Parvo ponte, qui nimiam hanc subtilitatem fovisse dicuntur, Johannes ipse inter suos habuit praeceptores iisque effert laudibus, ut ipsi quidem huic sectae adnumerari non possint. Qui cum omnes post Abaelardum Parisiis docerent, Cornificius vero eo tempore, quo Johannes haec scripsit, Oxoniae versaretur, priusquam de horum virorum doctrinis agam, ut temporis rationes recte intelligantur, Johannis nostri studia illustrentur oportet. Ipse de magistris et studiis copiose et accurate egit in Metalogico II, c. 10, quem locum cum liber in paucorum manibus versetur, excerptum hic repetendum curavi. „*Cum primum adolescens admodum studiorum causa migrassem in Gallias anno altero, postquam illustris rex Anglorum Henricus, leo justitiae, rebus excessit humanis, contuli me ad Peripateticum Palatinum, qui tunc in monte Sanctae Genovefae clarus doctor et admirabilis omnibus praesidebat. Ibi ad pedes eius prima artis huius rudimenta accepi et pro modulo ingenioli mei quidquid excidebat ab ore eius, tota mentis aviditate excipiebam. Deinde post discessum eius, qui mihi praeproperus visus est,*

adhaesi magistro Alberico, qui inter ceteros opinatissimus dialecticus enitebat et erat re vera nominalis sectae acerrimus impugnator.» Sic ferme toto biennio conversatus in monte artis huius præceptoribus usus sum Alberico et magistro Roberto Meludensi (sic) *ut cognomine designetur, quod meruit in scholarum regimine; natione siquidem Angligena est. — Deinde reversus in me et metiens vires meas bona praeceptorum meorum gratia consulto me ad grammaticum de Conchis transtuli ipsumque triennio docentem audivi. Interim legi plura, nec me unquam poenitebit temporis eius. Postmodum vero Bernhardum cognomento Episcopum secutus sum et quae ab aliis audieram, ab eo cuncta relegi et inaudita quaedam ad quadrivium pertinentia, in quo aliquatenus Teutonicum praeaudiveram Hardeivinum. Relegi quoque rhetoricam, quam prius cum quibusdam aliis a magistro Theodorico tenuiter auditis paullulum intelligebam. Sed eam postmodum a Petro Helia plenius accepi. Et quia nobilium liberos, qui mihi amicorum et cognatorum auxiliis destituto, paupertati meae, solatiante Deo, alimenta praestabant, instruendos susceperam, ex necessitate officii et instantia iuvenum urgebar, quod audieram, ad memoriam crebrius revocare. Unde ad magistrum Adam acutissimi virum ingenii et, quidquid alii sentiant, multarum litterarum, qui Aristoteli prae ceteris incumbebat, familiaritatem contraxi ulteriorem. — Interim Willermum Suessionensem — primo logices docui elementa et eundem jam dicto praeceptori apposui. — Extraxerunt me hinc rei familiaris angustia, sociorum petitio et consilium amicorum, ut officium docentis aggrederer. Parui. Reversus itaque in fine triennii repperi magistrum Gilbertum ipsumque audivi in Logicis et Divinis, sed nimis cito subtractus est. Successit Robertus Pullus, quem vita pariter et scientia commendabant. Deinde me excepit Simon Pexiacensis fidus lector, sed obtusior disputator. Sed hos duos in solis theologicis habui praeceptores. Sic fere duodennium mihi elapsum est diversis studiis occupato. Jucundum itaque visum est, veteres, quos reliqueram et quos adhuc dialectica detinebat in monte, revisere socios. — Inventi sunt, qui fuerant et alii.“*

Multas movit dubitationes hic locus cum aliis comparatus, sed recte quidem intellectus, quia aliis certior atque magis definitus est, praevalere debet. Quod vulgo sumunt, Johannem a. 1110 esse natum, cum anno post Henrici I. mortem i. e. 1136, se admodum adolescentem Parisios venisse referat, verum esse non potest. Neque quidquam de natalibus eius in libris medii aevi reperire potui. Chronica quidem, quae mortis annum et diem (obiit 25 Oct. 1180) et tempus, quo episcopus Carnotensis sit electus (mense Augusto a. 1176) tradunt (Bouquet XII, p. 299. XIII, p. 139. 167. 199. 319. 324.), neque quando natus sit, neque quamdiu vixerit, addunt. Itaque putandum, eum non ante a. 1120 esse natum. Primum tempus, quod in Gallia degit, totum adolescentiae adscribit, quare ineunte adulescentia eum eo venisse suspicandum. In epistola enim 172 (Max. Bibl. Patr. XXIII, p. 467) ad Henricum comitem Campaniae Franciae scripta refert, *„se prae omnibus coaetaneis, patre Henrici patrocinante, cum adhuc adolescentior esset, in Francia floruisse.“* Facilius etiam expediuntur difficultates a Riveto allatae (Hist. litt. de la Fr. IX, p. 67), quas nullius esse momenti jam docere studuit Pastoret (ibid. XIV, p. 89) quamquam rem non satis accurate pervestigavit. Ille enim crediderat Abaelardum non post annum 1118 in monte Sctae Genovefae docuisse, oportere igitur Johannem jam hoc anno in Galliam venisse. Etiam post consilium quidem Suessionense a. 1121 habitum in Abbatia quidem Scti Dionysii Abaelardus se scholam aperuisse ipse narrat in Epistola prima ad Heloysam (Opp. ed. Amb. c. 9, p. 26); neque tamen proximis annis, quibus quid egerit, in eadem epistola persequitur, Parisiis docendi munus recepit. Abbatis enim et monachorum simultate inde fugatus postquam in agri Trecensis solitudinem se contulerat, ibi in Paracleti oratorio rursus ingentem discipulorum numerum habuit. Deinde cum rursus adversariorum calumniis motus abbatiam Ruissensem in Britannia minore regendam suscepisset et aliquamdiu tenuisset, ne ibi quidem a monachorum et principis cuiusdam vicini insidiis tutus, ut ipse scribit, *„vagus et profugus“* circumferebatur; se tamen interea docuisse nusquam in hac epistola tradit. Sed ibi res suas non multum ultra annum

1131 persequitur. Litterae vero, quibus Bernhardus Claravallensis papam et clericos Galliae contra Abaelardum excitare studet, omnes ante consilium Sennonense a. 1140 habitum scriptae, eum rursus docuisse aperte profitentur, et quamquam, ubi docuerit, non addunt, tamen in celebri quadam urbe eum rursus magno cum applausu docuisse sumere jubent. In epistola 333 e. g. (Opp. ed. J. Mabillon Par. 1719. t. I, p. 307) legimus: „*Petrus Abaelardus de moribus, de sacramentis, de patre et filio et spiritu sancto scribit, docet, disputat.*" Nihil est, quod impediat, quominus hoc Parisiis jam a. 1136 factum esse ponamus, id quod Johannis nostri testimonio, se anno post Henrici I. mortem Parisiis inter Abaelardi fuisse discipulos referentis satis certum redditur. Theologicarum lectionum, quae ei crimini dabantur, a Johanne mentionem non fieri, non est, quod miremur, quod hic adolescens tum non nisi logicis operam dare poterat. Itaque jam constat, Johannem, cum duodecennio in variis studiis se occupatum scribat, ab anno 1136 usque ad annum 1148 magistrorum clarissimorum scholas frequentasse et ipsum alios docuisse. Aequo magis hanc notitiam in usum suum traxerunt universitatis Parisiensis scriptores, immerito neglexerunt, qui de rebus Oxoniensibus scripserunt, utrique non animadvertentes, Johannem ex suo ipsius testimonio duodecennium non totum Parisiis, sed magna ex parte Oxoniae in patria studiis tribuisse. Illa enim verba: „*Reversus itaque in fine triennii repperi magistrum Gilbertum*" et sqq. non nisi de reditu in patriam intelligi possunt, quod etiam affirmant illa: „*Jucundum itaque visum est, veteres, quos reliqueram in monte, revisere socios*" quod si Parisiis remansisset, quotidie facere potuisset. Studiorum igitur cursu in Anglia confecto rursus in Gallias profectus est. Sed si haec ipsa auctoris verba non satis aperta et ad persuadendum sufficere videntur, alia in promptu sunt testimonia, quae ut locum nostrum (Met. II, 10) ita intelligamus, non suadent modo, sed cogunt.

Juris Romani studium Oxoniam esse translatum, antequam Stephanus a. 1135 in regno succederet, Johannes Policr. VIII, 22 his verbis testatur: „*Tempore regis Stephani a regno jussae sunt leges Romanae, quas in Britaniam domus venerabilis patris*

Theobaldi Britanniarum primatis asciverat. Ne quis etiam libros retineret edicto regio prohibitum est et Vacario nostro indictum silentium, sed Deo faciente eo magis virtus legis invaluit, quo eam amplius nitebatur impietas infirmare." Vacarium tum Oxoniae Justiniani libros interpretantem vix alia de causa Johannes suum vocat, nisi quod magistrum vel amicum habuit. Oxoniae vero juris scientiam sibi parasse hic eo magis est credendus, quoniam Parisiis hoc studium omnino non colebatur. Quominus in Metalogici loco (II. 10.) juris Romani a se culti mentionem faceret, totius loci ratio prohibuit; exponere enim voluit, quibus magistris in dialectice totoque trivio operam dederit, quare etiam theologica studia leviter tantum attigit, jus Canonicum, in quo multum valuit et medicinam aliaque studia, in quibus mediocriter erat versatus, silentio praetermittit. Vacarius, per quem legis virtus magis invaluisse dicitur, anno 1143 vel 1144 in Angliam venit, non ut Chronica quaedam significant 1149, quo librum ex universo enucleato jure excerptum edidit. (Savigny, Gesch. des Röm. Rechts im Mittelalter, Vol. IV, p. 348 sqq.) Johannes igitur, si Vacarium habuit praeceptorem, anno 1143 vel 1144 vel non multo post Oxoniae litteris vacaverit oportet. Si quis ne hoc quidem argumentum satis firmum habeat, jam aliud in promptu est, quod infringi non possit. Inter eos, quorum scholas frequentavit, Johannes etiam Robertum Pullum refert, qui quando Oxoniae docuerit, dubium non est. Ibi Johannem Roberti fuisse in disciplina, jam Wood suspicatus est (Hist. Univ. Ox. I, p. 49 ad a. 1134), sed neque ita se rem habuisse demonstravit, neque cur ad annum 1134 hoc annotaverit, intelligi potest, nisi Chronicon anni notitiam suppeditaverit. Fortasse etiam credidit, Johannem Roberti fuisse discipulum priusquam Parisios adiret, quod verum non esse, satis liquet. Non est, cur fidem denegemus Anonymo, qui in Chronico Bedae continuato haec exhibet: „*Venit magister Robertus cognomento Pullus de civitate Exonia Oxefordam ibique scripturas Divinas, quae per idem tempus in Anglia obsoluerant, prae scholasticis quippe neglectae fuerant, per quinquennium legit, omnique die dominico verbum Dei populo praedicavit, ex cuius doctrina plurimi profecerunt.*" Praetermitto

Lelandum, qui (de Script. Brit. c. 148, p. 180) Roberti gloriam nimis adauxit, Pitsei vero locum majore fide, nt videtur, dignum (Rerum Anglic. a. 1146) a Woodio neglectum non adscribere non possum: „*Contemplatus miseram Academiarum faciem bellis domesticis deformatam, statim commiseratione motus Oxoniensem Academiam jam pene collapsam denuo erigere et Musis iterum restituere deliberavit. Ipse ibi scholas aperuit, optimas scientias gratis docuit, auditores et discipulos, Professores et Magistros ex aliis regni partibus illuc evocavit, ex quibus non paucos suis sumptibus aluit, alios omnibus humanitatis officiis sibi et Musis obstrinxit. Ipseque interea multa docere, dictare, scribere perseveravit.*" Quando Robertus Oxoniae docuerit, discrepat inter scriptores; certe illos quinque annos, quos anonymus dicit, non continuos docuit. Exstat enim epistola Sancti Bernhardi (ed. Mab. I, p. 195, ep. 205) ad Ascellinum episcopum Roffensem, qua Robertum Parisiis morari excusat. Bulaeus (Hist. univ. Par. II, p. 153) epistolam anno fere 1138 scriptam et Robertum tum primum Oxoniam esse vocatum suspicatur, sed nullum in epistola est vestiginm, Robertum eo demum tempore primum Oxoniam esse vocatum, sed peregrinantem potius Parisiis detentum docuisse cognoscimus. Neque enim, si tum demum Oxoniam vocatus esset, quinque annos ibi docere potuit. Epistola enim illa, ut Mabillon (in notis ad h. l. Opp. Vol. I, p. LXIX.) demonstravit, non ante annum 1141 scripta est, anno vero 1143 jam diem supremum obiit papa Innocentius II, qui Robertum Romam arcessivit, unde novimus, eum post annum 1141 breve tantum tempus Oxoniae docuisse, quod et ipse Metalogici locus, de quo commentamur, ostendit. Annus igitur efficitur 1142, quo Johannes Robertum Oxoniae audiverit. Ab hac temporum ratione videtur discrepare ipse Johannes, qui anno 1136 se in Gallias esse profectum, ibi biennium Abaelardo, Alberico et Roberto, triennium deinde Wilielmo de Conchis, triennium etiam aliis magistris et docendo vacasse referat, ut non ante annum 1144 in Angliam redisse videatur. Sed eo anno cum Robertus, quem se audisse confirmat, jam Romae a Coelestino Cardinalis esset factus, cogimur ponere, eum non duo triennia, sed biennium tantum et unum triennium degisse Parisiis at-

que uno eodemque triennio praeter Wilielmi de Conchis etiam Richardi et Petri Heliae scholas freqnentasse ipsumque nobilinm liberos instituisse. Verba quidem obstare videntur: *„ipsumque* (Wilielmum) *triennio docentem audivi. Interim legi plura nec me unquam poenitebit temporis eius. Postmodum vero Richardum — secutus sum,"* sed nihil impedit, quominus illud *postmodum* ad initium triennii referatur, ut primum solum Wilielmum, deinde postmodum i. e. non multo post praeter eum eodem triennio aliquamdiu Richardum, et postea Petrum Heliam se audisse dicat. Etiam multo veri est similins, triennio hoc ei plures praeceptores, quam unum tantum fuisse, idemque triennium significari, si tradit, in fine triennii se in patriam esse reversum, ita ut quinqnennium Parisiis moratus a. 1142 vel 1141 in Angliam rediret. Hanc computationem affirmat Johannes noster Metalogici libro tertio, qui sic incipit: *„Anni fere viginti elapsi sunt, ex quo me ab officinis et palaestra eorum, qui logicam profitentur, rei familiaris avulsit angustia et consilium amicorum, quibus non obtemperare non potui. Exinde ut ex animi mei sententia verum fatear, nec in transitu vel semel dialecticorum attigi scripta, quae vel in artibus vel in commentariis aut glossematibus scientiam pariunt aut retinent aut reformant."* Hoc sine dubio referendum est ad illud tempus, quo Adami de Parvo ponte et Willermi Suessionensis familiaritate et dispntandi consuetndine sublata in patriam reversus erat, ubi non mnlto post logicae omnino renuntiavit. Etenim si Richardo et Petro Heliae altero triennio post Wilielmum de Conchis operam tribuisset, non ante annnm 1144 in Angliam redisset, et sedecim tantum anni essent praeteriti ad annum 1160 usque, quo Johannes Metalogicum scripsit. Sin vero anno 1141 rediit, anni certe undeviginti interjacent. Si deniqne certum esset, quod Bulaeus (II, p. 735) suspicatus est, Gilbertum, quem ante Robertum audivit, fuisse Porretanum, quartum nostrae ratiocinationi accederet argumentnm. Anno enim 1141 episcopus factus est, ut Johannes, qui hoc anno Oxoniam venerat, eum nimis cito sibi snbtractnm esse queri posset. Sed compertum non habemus eum unqnam Oxoniae docuisse, quamquam hoc neque de Gilberto Folioth, postea episcopo Herfordensi, ultimum Londinensi, novimus.

Sed sufficere videntur quae disputavimus, ut probemus, Johannem ab anno 1136 usque ad annum 1141 Parisiis, ab hoc anno usque ad annum 1148 Oxoniae in litteras incubuisse, ubi mirari tamen subit, belli tum circa Oxoniam gesti et ipsius civitatis anno 1141 a Stephano vi expugnatae apud Johannem mentionem non fieri; cf. Lappenberg Gesch. v. Engl. Bd. 2 p. 350. Sed multa, immo plurima eiusmodi sunt, quae silet. Deinde Parisios reversus quamdiu in Gallia commoratus sit, rursus incertum. Pastoret (Hist. littér. de la Fr. XIV, p. 94.) narrat, eum a. 1151 a Petro Cellensi et Bernhardo Claravallensi Theobaldo archiepiscopo commendatum in patriam redisse. Joh. Mabillon vero Bernhardi epistolam anno 1144 adscripsit, quod verum esse non potest. Aliquamdiu Johannem apud Petrum Cellensem commoratum esse, huius epistolae docent VII, 6 et 21, eum tamen post plures demum annos redisse, propterea non concedam, quod inter annum 1148 et 1154 saepius itinera per Galliam instituerit oportet. Anno enim 1160 cum scribat (Metal. III, Prol.): *„Alpium juga transcendi decies egressus Angliam“* sive decies Angliam egressus est, sive toties Alpes transcendit, quod multo veri similius, certe toties Galliam peragravit, quod etiam saepius se fecisse postea narrat. Angliam vero egressus Galliam petivit ante annum 1148 bis, inter 1154 et 1160 etiam bis, sexies igitur hoc iter instituerit oportet inter annum 1148 et 1154, unde conjiciendum est, in quoque itinere eum non diu commoratum. Illam igitur Bernhardi epistolam non multo post annum 1148 scriptam esse, eo magis credendum, quod se coram Theobaldo Johannem commendasse scribit et veri est simillimum, Theobaldum archiepiscopum a. 1148 ex Italia revertentem per Galliam venisse et Bernhardum vidisse (Savigny Gesch. d. Röm. Rechts im Mittelalter, Bd. IV, p. 348). Neque illud practermittere volo, Johannem, si totum duodecennium Parisiis peregisset, intelligi non posse, cur Petri Lombardi omnino rationem non habuerit, qui certe anno 1149 ibi jam aliquot annos et docuerat et famae celebritatem quandam consecutus erat. (Bulaeus II, p. 251.)

Sed, ut jam ad illos subtilitatum auctores revertar, Scholastici, quorum asseclae in Enthetico nostro vanitatem illam instaurasse et

fovisse dicuntur, sunt Adam de Parvo ponte v. 49, Robertus de Meliduno v. 55 et Albericus v. 56, de quibus jam singulis agendum. Adami nulla exstant scripta, neque multa sunt, quae de eo traduntur. De eius rebus commentati sunt Bulaeus (Hist. Univ. Par. II, p. 717) et Pastoret (Hist. litt. de la Fr. XIV, p. 189). Plurima quae ad argutias eius cognoscendas pertinent, leguntur apud Joh. Sarisberiensem, quae cum loco nostro lucem affundant, hic repetenda duxi. Metal. II, 10: *„Unde ad magistrum Adam,* inquit, *acutissimi virum ingenii et, quidquid alii sentiant, multarum litterarum, qui Aristoteli prae ceteris incumbebat, familiaritatem contraxi ulteriorem, ut, licet eum doctorem non habuerim, mihi sua benigne communicaret et se, quod aut nulli faciebat, aut paucis alienis, mihi patentius exponeret; putabatur enim invidia laborare."* Quae hoc loco et alibi de Adamo fere invitus refert, ea proxime accedunt ad carmen nostrum, quare illa quoque non repetere non potui, utpote quae locum hic tractatum illustrent. Metal. III, 3, p. 145 ed. Par. 1610: *„Deridebat eos* (libri Aristotelici de Categoriis quosdam commentatores) *noster ille Anglus Peripateticus Adam, cuius vestigia sequuntur multi, sed pauci praepediente invidia profitentur, dicebatque, se aut nullum aut auditores paucissimos habiturum, si ea simplicitate sermonum et facilitate sententiarum dialecticam traderet, qua ipsam doceri expediret."* Metal. IV, 3: *„Quo quidem vitio* (turbatione nominum et intricata subtilitate) *Anglicus noster Adam mihi prae ceteris visus est laborasse in libro, quem Artem disserendi inscripsit. Et utinam bene dixisset, bona quae dixit, et licet familiares eius et fautores hoc subtilitati adscribunt, plurimi tamen hoc ex desipientia vel invidentia vani, ut ajunt, hominis contigisse interpretati sunt."* Quid inde redundet ad versus 45—54 illustrandos, non est, quod fusius exponam. Haec scribenti mihi ostendit Lappenbergius collectionem poëmatum Latinorum a Thoma Wright editam: *„The Latin Poems commonly attributed to Walther Mapes. London 1841."* Ibi p. 21. sqq. legitur carmen *Metamorphoses Goliae Episcopi* inscriptum, in quo praecipui doctores scholastici sec. XII. inducuntur. Versus ad Adamum pertinent hi:

„Inter hos et alios in parte remota
„Parvi pontis incola, non loquor ignota,
„Disputabat digitis directis in jota,
„Et quaecunque dixerat, erant per se nota."

De Roberto Meliduneusi non est, quod dicam, quia de eo copiosius egerunt Bulaeus (Hist. Univ. Par. II, 772) et Pastoret Hist. litt. XIII, 371). Qui vero indicetur Albericus, cum quatuor eiusdem nominis tum essent, accuratius est inquirendum. Albericus Bellovacensis, episcopus Ostiensis et Cardinalis obiit 1141, (Hist. litt. de la France XIII, p. 73). Albericus de Laudano, etiam de Humberto cognominatus, obiit a. 1218 Remis episcopus. Albericus Remensis a. 1139 vel 1135 mortuus est episcopus Bituricensis (Hist. litt. de la France XII, p. 72). Primus Parisios prius reliquit, secundus et tertius prius obiërunt, quam ut illo tempore ibi docere potuerint. Restat igitur quartus et ipse Remensis, etiam de Porta Veneris cognominatus, qui sentiendi ratione Bononiae mutata ab ipsis Cornificianis impugnatus Thomae archiepiscopo et Johanni exulantibus hospitium praebuit (Joh. Sar. Met. I, 5. Ep. 172 apud Bouquet XVI, 515. Bulaeus II, p. 724).

Restat ut de Sertorio dicam, qui v. 121 huius scholae auctor perhibetur. Suspiceris eum non esse diversum a Cornificio. Conveniunt quidem multa: praeter ipsam doctrinam, quod aere compulsi docent, quod moribus utuntur pravissimis, quod denique grammaticam aspernantes barbare loquuntur. Sed temporum ratio obstat. Sertorius olim docuisse dicitur, pertinet igitur ad tempus, quo primum vanitas haec Oxoniae floruit ante Robertum Pullum, Cornificius vero eodem tempore, quo haec scripta sunt, floruit. Etiamsi eos, qui sola aucupia verborum sequebantur, hic Sertorianos, in Metalogico Cornificianos vocat, hi tamen sectatores priorum magistrorum fuisse perhibentur. Quod ad nomina fictitia attinet, Cornificium calumniatorem suum appellavit ad similitudinem eius, qui Virgilio obtrectasse dicitur apud Donatum in eius vita ed. Heyne. Vol. V, c. 18, p. 344. Hoc nomen tum fere proverbiale fuisse, epistola Petri Blesensis 92 in Max. Bibl. Patr. Vol. XXIV, p. 1011 docet: *„Scio unde spiritum elationis conceperit et quare vester Cornifi-*

cius intumescat.“ Idem affirmat Policratici prologus, ubi eundem, qui in Metalogico impuguatur, significari, cur ponamus, nulla est causa: „*et ego meum Cornificium habeo et Lanuvium.*“ Nam Policraticus, ut demonstrare studui, scriptus est, priusquam auctor ab aula repulsus Oxoniam se recepisset. Illi aetati tamen plura de vetere illo Cornificio innotuisse, quae nos fugiant, suspicor Metal. I, 2, legens: „*licet antiquo novus Cornificius ineptior sit.*“ Quis vero fuit hic Cornificius, eo minus, ut exploretur, fore sperandum, quia nihil scripti reliquisse dicitur (Met. I, 3), et res Oxonienses illa aetate densis tenebris sunt obductae. Minus etiam efficere nobis contigit, quod verum Sertorii nomen fuerit et quae ratio fuerit nominis fingendi. Suspicor eum ab argumentis vel rationibus et conclusionibus serendis cognominatum esse. Sed haec hactenus, jam singula, quae interprete indigent, consideremus:

Vv. 35 — 40. Vanas verborum subtilitates jam a Justiniano rejici monens dictionem a Cicerone repetit, qui idem objicit sui temporis jureconsultis pro Caec. c. 23 his verbis: „*Si contra verbis et litteris et, ut dici solet, summo jure contenditur, solent eiusmodi iniquitati boni et aequi nomen dignitatemque opponere. Tum illud, quod dicitur sive, nive irrident, tum aucupia verborum et litterarum tendiculas in invidiam vocant.*“ Respicit vero noster in libris juris civilis versatissimus ad leg. 1. C. J. De Formulis et Impetrationibus actionum sublatis (II, 58), ubi Imperatores Constantinus et Constans praecipiunt: „*Juris formulae aucupatione syllabarum insidiantes cunctorum actibus radicitus amputentur.*“

V. 35. *Jussit ab aula* scilicet repelli i. e. removet, arcet. Eodem modo Policr. II, c. 26, Gregorius — non modo mathesin jussit ab aula, sed. etc.

V. 37. *Forma* i. e. nimia formularum subtilitas, auctoris tempore judicibus quaesita. Eiusmodi captiosam et fallacem disserendi rationem, quam v. 39 vocabulo a Martiano Capella deprompto *complacitum pueris sermonem* nuncupat, si quis non callebat vel spernebat, eum a philosophis istis tum irrideri solitum esse, v. 40 est auctor.

V. 42. *Ut statuas* i. e. ut aliorum auctoritate confirmes.

V. 49. *Incola sum modici pontis* i. e. Audiui Adamnm ad Parvum pontem Parisiis docentem.

V. 58. *Pellitur a nostro trita moneta foro.* Dictio proverbialis de erudita philosophia, quae antea florebat, per huius vanitatis magistros repnlsa. Fortasse alludit nummis ab Henrico II. novatis.

V. 65. *Confundere linguas* i. e. lingnam latinam cum Francogallica, qualis tum erat, miscere; cf. notam ad v. 139. — Quae auctorem ex mente adversariorum dicere arbitror, ea signis hunc in usum inventis („ ") significavi.

V. 96. *In Patriarcharum bobus habendus erit.* Huius proverbii aliud exemplum in Metalogico exstat I, 5, ubi Albericum Remensem et Simonem Pariśiensem Cornificiani *„boves Abrahae vel asinos Balaamitos"* nominant.

V. 113. *Vilescit physica* i. e. medicina; quamquam apud nostrum hoc vocabulo etiam rerum naturalium scientia significatur, hoc tamen loco, cum juxta leges i. e. jus ponatur, de medicina intelligendum puto secundum usum illius aetatis; cf. Savigny Gesch. des Röm. Rechts im Mittelalter. Bd. III, p. 162, et infra p. 89.

V. 127. *Numerus Garamantum* i. e. juvenum et virorum e remotissimis regionibus oriundorum. Garamantes enim apnd Virgilium saepe extremi nominantur, qni fines terrarum incolunt. Eclog. VIII, 44. Aen. VI, 795, ubi apud Servium legitur: *„Populi inter Libyam et Africam juxta κεκαυμένην.*

V. 135. Mira est forma *Soloen* pro *Soloecismum.* De Soloecismo et Barbarismo ipse plura composuit ex Cicerone et Quinctiliano, Metal. I, 18. Exempla exstant I, 3, ibid.

Vv. 139—156. Linguam Latinam cum Francogallica et Anglica mixtam comparat cum lingua Francogallica, qualis tum Normannis in Anglia vel Anglis eos cum elegantiae quadam affectatione aemulantibus in usu erat. Sertorianos et Cornificianos, quod linguam Latinam corrumperent, deridens, et simile quid tum fieri in judiciis, ubi lingna Anglo-Saxonica cum Gallica misceri coepta esset, recordatus, in huius mixtionis auctores, regem Stephanum et juris consultum

tum florentem Mandragori nomine significatum, invebitur. Locus hic de linguae Anglicae initiis sane dignus est, qui doctornm animum ad se convertat. Cf. Lappenberg Gesch. v. Engl. II, p. 292. Stephanum Hyrcani regis Judaeorum sacerdotibus inimici nomine appellat. Jurisconsulto ut praestigiatoris mores adscriberet, nomen Mandrogeri e comoedia Pseudo-Plautina, quae vulgo Querolus vocatur et ab Osanno Aulularíae inscriptione edita est, deprompsit. Infra ad versum 1363 extricare studeho, quem anctor significaverit.

V. 164. Redit ad linguae Latinae contemptum. Res quamquam satis manifesta videtur, dictio tamen est mira, qnod lingua corrupta vocatur *sermo rotundus*, *verba rotunda;* cf. v. 68 et 143. Huius quidem usus nullum exemplum extra carmen nostrum reperi. Similitudo fortasse a nummis deprompta est usu detritis et, cum antea marginem haberent caelatum, nunc quasi rotundatis.

V. 165—450.

DE JOHANNIS SARISBERIENSIS DOCTRINA IN UNIVERSUM.

Philosophia ex Jobannis sententia, nuper singulari libello illnstrata per Herm. Reuterum, quem fine prooemii laudavi, necessario conjugio cum rhetorice vel arte dicendi copulata est (v. 185—220). Hoc vero conjugium, sicuti ipsa philosophia, gratiae Divinae dehetur (v. 221 — 244). Gratia respuit casum vel Fortem Fortunam (v. 245—264) et desiderat arbitrii libertatem (v. 265—276). Philosophia animi pertnrbationibns, inprimis superbiae, inimica (v. 277—304), est veri Dei amor et a fide Christiana non aliena neque diversa (v. 305—324). Ordinis illa creatrix intelligit, theologiae primum concedendum locum (v. 325 — 374); subiectum vel materiem

verae laudis vel gloriae esse Deum, speciem vel formam ideam boni, artificem spiritum sanctum et finem Dei amorem agnoscit, laudis, inquam, vel gloriae illius, quae, religioni non minus proposita quam philosophiae, scripturam sacram habet reginam, cui quidem disciplinae philosophicae contradicere non possunt (v. 375—450).

Johannem habemus virum ingenii haud vulgaris, neque eruditiorem quam ingeniosiorem. Neque enim didicit tantum, sed etiam quae didicit, pro istius aetatis genio, optime composuit. Cum systemata philosophorum et theologorum, quae invicem se excipiunt, aut alia ab aliis pendeant, aut sibi adversentur, quaerendum, unde Johannes doctrinam suam hauserit, vel quibus potissimum se applicuerit. Cognovimus eius praeceptores, sed paucos vel neminem eorum postea omnino probavit; legendo potius quam audiendo animum mentemque ad Augustini, Anselmi, Abaelardi et Hugonis, fortasse etiam ad Richardi a Sancto Victore scripta conformavit, neque tamen totum iis se dedit, sed pro ingenii constantia et singulari eruditione ex aliorum etiam libris multa decerpsit et suae doctrinae inseruit, ita tamen, ut apud ipsum omnia magis inter se consentiant et cohaereant, ideoque facilius intelligantur, quam apud priores. Sed ipse majoris est eruditionis et mea qualiscunque scriptorum illa aetate lectorum notitia minor, quam ut singula quaeque e priorum libris repetam. Multa suppeditant Hugonis a Sancto Victore Didascalicae eruditionis libri septem (In Ed. Rothomagensi 1641 Vol. III. init.) et Richardi Tractatus excerptionum (ed. Paris. 1518), qui, Tennemanno (Gesch. d. Philos. VIII, p. 249) recte monente, cum illo Hugonis opere magna ex parte consentit. Quae ex auctoris nostri sententia ad sapientiam conferunt v. 167—170, eadem Hugoni studentibus necessaria videbantur, ubi (III. c. 7.) „Tria sunt, inquit, necessaria studentibus: natura, exercitium, disciplina,“ quae Hugo postea fusius, sed etiam confusius tractavit, luculentius vero Johannes in Metal. I, 7—9 exposita, sicuti hic, v. 171—174, ad eloquentiam accommodat. Sententiarum et verborum sive sensus et sermonis sive philosophiae et eloquentiae conjunctionem sub Philologiae i. e. rationis vel philosophiae et Mercurii i. e. sermonis vel

eloquentiae allegoria persequitur v. 175—220. Satis notus est liber, ex qno haec imago hansta est, Martiani Capellae, inquam, Satyricon, cuius libri dno priores de nuptiis Philologiae et Mercurii, ceteri de septem artibus liberalibus singuli agunt. Ipsa vero allegorica methodus e Stoica fabularum explanatione cum Graeca philosophia ad Judaeos Alexandrinos pervenit, qui in libris Veteris Testamenti interpretandis ea utebantur. Inde in Novum Testamentum et ad patres ecclesiae transiit atqne cum his ipsis a scholasticis recepta ab his adeo ad Romanos scriptores adhibita est. Quibus legibns haec ratio in Bibliis legendis adstricta sit, docet Hngo a Sancto Victore Didasc. VI, 4; qno modo ad gentiles etiam scriptores accommodetur, qnid discriminis observandum in sacris atque profanis scriptoribus legendis, quid denique allegorica haec ratio conferat ad philosophiam, accnratius exposuit Johannes in Policratico VII, 10—12. Exemplnm allegoriae ad philosophiam relatae praebet liber ille Martiani Capellae, qnocum qni a Johanne nostro conjungitur Furvus, nobis omnino est ignotns. Tum demnm videtur repertum esse eius opns, siquidem vv. 200—210 fere enumerantur, qui possidebant illud et legerant.

Ratio et dicendi facnltas, sicuti omnia naturalia bona, debentur gratiae Divinae, quae et ipsa sua sponte homines recipit atque mentem purgat a vitiis, quare animi non dotes (genius) modo, sed etiam ad virtutem et scientiam conformatio gratiae Divinae tribuuntur vv. 221—244. Thomsenius meus, Professor Kiliensis, agnoscit doctrinam de imagine Dei innata, ad quam, gratia interveniente, accedit similitndo Dei. Hanc doctrinam, qua primus virtutis motus a Deo repetitur, ut hic v. 230, et gratia mentem humanam praevenire dicitur, esse Augustini, satis est notum. Cf. Augnst. de Gratia Dei et Libero Arbitrio. Illi de imagine Dei hominibus innata doctrinae opinionem gentilium vel Romanorum de Genio comparat v. 239—42, sed caducum esse Genium non concedit, utpote eo consilio natum, ut hominis fata subeat, sed verius dici vult innatum bonum, quod subesse i. e. fundamento esse bonorum possit, siquidem subdita i. e. inferiora bona virtute effecta gratuitis i. e. gratia datis accommodet vel inserat. Itaque Genius comprehendit dotes illas

innumeras, quibus gratia hominem ditat vel instruit, quae ab eadem gratia conformantur ad vitam coelestem vel sortem angelicam. Ceterum de Geniis vide J. H. Hartung. Die Religion der Römer, I, p. 32. Inter dona illa gratiae Divinae, quae hominem beatum faciunt, vel ad vitam illam coelestem provehunt, primum locum tenet philosophia, cuius laudes vv. 245—250 expositae interprete non indigent, nisi quod mentio erroris, quem a philosophia tolli praedicat, auctorem ad gravissimum hominum errorem ducit, qui mundum casu regi opinetur. Tum res hominum, sive secundae sive adversae sunt, ludi videntur Fortis Fortunae, quae Etrusco nomine Nursia vel Nortia nuncupatur. Nursia, apud Tertullianum Apol. c. 24. Vulsiniensium, Nortia Sutrinorum Dea fuisse dicitur, eadem fortasse, quae apud Asculanos Ancaria, apud Ocrinulanos Valentia nuncupatur. Cf. Juv. Sat. X, 74, interpp. Auctori nostro haec Nursiae notio innotuit etiam e Martiano Capella, qui Deorum comitia describens lib. I, p. 21: „Tunc etiam, inquit, omnium garrula puellarum et contrario semper fluibunda luxu, levitate pernix desultoria gestiebat, quam alii Sortem asserunt, Nemesimque nonnulli, Tychenque quam plures aut Nortiam. Haec autem quoniam gremio largiore totius orbis ornamenta portabat et aliis impartiens repentinis motibus conferebat, rapiens his comas puellariter, caput illis virga comminuens, eisdemque, quibus fuerat eblandita, ictibus crebris verticem complicatisque in condylos digitis vulnerabat. Haec mox ut Fata conspexit omnia, quae gerebantur in Jovis consistorio subnotare, ad eorum libros et pugillarem paginam cucurrit et licentiore quadam fiducia, quae facta conspexerat, inopinata descriptione corripuit, ut quaedam repente prorumpentia velut rerum seriem perturbarent, alia vero, quae causarum ratione prospecta vulgaverat, quoniam facere improvisa non poterat, suis tamen operibus arrogabat.“ Sententiam debet Chalcidio p. 109 ad Plat. Tim. p. 41 D. de fato et casu disserenti: „Breviter ergo cum duae causae initium habentes ex proposito nostro ita concurrunt, ut non quod propositum est et longe secus praeterque opinionem accidat, *fortunae ludus est* ut si quis occulte thesaurum terrae mandet, dehinc agricola propositum habens vitem aliamve quamlibet stirpem propagare, the-

saurum illum, dum scrobem molitur, inveniat." Si haec rerum pertarbatio mentem fallit, eam arbitrio i. e. voluntate servat philosophia. Sed arbitrium indiget libertate, quae inde pendet, quod gratia praestat, ut ratio vera discernat et affectus i. e. appetitus vel studia bonum diligant et expetant. Quibus haec perspicientia veri, amor boni et voluntatis libertas concessi sunt, eos gratia Divina ad philosophiam consecrat v. 264—276. Cf. Reuter § 9, p. 63. Philosophia animum illustrans, corrigens et ad vitam beatam perducens, animi pertarbationes et affectus non omnino tollere potest, sed tantum regere et domare. Quo perniciosior ei est superbia, eo major, ea superata, victoriae laus. Quam si reportavit philosophia, nihil majus est, neque quisquam est, qui satis eam laudare possit. Etenim philosophia est amor sapientiae, sapientia vero Deus, illa igitur Dei amor, qui cum a fide pendeat, philosophia sine fide Christiana esse non potest. Fides vero cum operibus conspiciatur, neque virtus ab ea disjungi potest. Itaque fides fundamentum philosophiae, v. 277—324. Thomsenius agnoscit illam Augustini et Anselmi doctrinam: „fides praecedit intellectum: qui non crediderit, non experietur, et qui expertus non fuerit, non intelliget." Ceterum de providentiae Divinae et arbitrii humani consensu vide Policrat. II, 22, de Divina philosophiae vi et natura VII, 11, de utraque re Augustin. de Civit. Dei lib. XIV. Johannis copiosam brevitatem cum larga eruditione, quam hoc quidem loco detegere contigit, comparantem minus me subit admirari doctrinam quam mentis acumen, quod, quae in scriptoribus tam diversis cognata apparebant, ea non reperit modo, sed etiam aptissime composuit. Quo modo haec philosophandi ratio sit reconcilianda cum dubitatione, quam alibi probat, Academica, et H. Reuter docere studuit v. 14, 15 et equidem infra quaesivi ad v. 726 et 1119.

Jam longius repetit argumentum, quo demonstret, fidem a philosophia non diversam esse. Incipit ab ordine, quem praecipit philosophia, sine quo veram laudem nemo consequi possit. Obversatur ei ob mentem naturae et animi humani in ordine consensus, de quo Chalcidius in Tim. Plat. p. 115: „Quia imitantur naturam ars et disciplina, etiam haec, quae artibus efficiuntur, sunt frequentia

proventusque crebri. Quae vero reguntur, *hac* (sic!) *lege, ratione, ordine* ac sine vi reguntur." Ordo ille conspicitur in agendo et loquendo, praecipue vero in discendo. Hoc ordine observando veteres, inquit, magna praestiterunt, qui ab adversariis tunc spernebantur, sicuti illi, qui eos commendabant, quia nimia flagitare videbantur. Iste discendi ordo, quem laudat, postulabat, ut a grammatica principium caperetur, eam exciperet dialectice, deinde sequeretur rhetorice, post eam legendo et scribendo perceptam coleretur philosophia naturalis et moralis, tum denique quae postea facultates sunt nuncupatae, jurisprudentia, medicina et theologia v. 325—374. Haec in litteras incumbendi ratio et via ab adversariis contempta, antea consueta, postea est restituta. Ordinem repeti a philosophia vel praecipuum huius officium agnosci in ordine constituendo, minime est mirum perpendenti, philosophiam tum potissimum in dividendo et definiendo fuisse versatam. Si v. 327 non modo ordine docere dicitur, sed etiam, quid et cur quidque legendum sit, teneamus oportet, artium liberalium vulgo in philosophia comprehensarum certam et constantem fuisse seriem in earumque compendiis, e. g. in eo, quod reliquit Boëthius, opera ampliora, unde singulae disciplinae discerentur, solita esse commendari. Ordo ille discendi cum ab adversariis sperneretur, v. 349—350, eorum unum, quem delicatulum pusionem, sive agnomine e Graeca lingua deprompto Tryphonem nominat, ludibundus v. 350 libere respondentem inducit, veterum scripta, majoribus diligenter culta, nulla alia de causa negligi, nisi quod studium eorum operosius esset. Itaque patrum laude praemissa trivii rationem exponit, in qua hoc animadvertendum, quod dialecticam nominat diasirticam, cuius vocabuli origo obscura est, et rhetoriceu dividit in synthesin i. e. scribendi exercitationem, lexin, scriptorum veterum lectionem, et rhesin i. e. dicendi vel docendi facultatem. Trivium hoc ubi philosophia *naturalis* et *moralis* excipere dicitur, sane observandum, Aristotelis libros naturales et morales illa aetate in Gallia et Anglia nondum lectos esse dici. (Jourd. Geschichte der Arist. Schriften im Mittelalter. Deutsch von Stahr, p. 238.) Quod etsi verum esset, tamen moralem philosophiam jam Hildebertus Turo-

nensis constituerat Ciceronis de Officiis libros cum praeceptis religionis Christianae componens. Physices scholasticae ante Albertum Magnum opusculum quidem observatum est nullum, quamquam non modo e Ciceronis, Senecae et Plinii scriptis illa innotuerat, sed jam pluribus seculis ante, ne de Gerberto dicam, Parisiis doceri soleret (Hist. litt. de la Fr. IX, p. 189.). Johannis vero tempore a medicis, qui et ipsi vulgo physici nuncupabantur, inprimis culta est, atque ex eorum scholis jam in vulgus effluxerat; erant enim qui medicinae studiis operam darent, etiamsi artem medicam exercere nollent, unde Policr. II, c. 29. Physici theoretici et practici distinguuntur. Etiam apud Hugonem de S. Victore quadrivium excipit haec physica seu philosophia naturalis, imo eiusdem peculiare de animalibus et lapidibus exstat scriptum Opp. Vol. II, p. 177. Erud. didas. II, 17. Videsis quae de Aristotelis Physicis et Ethicis non omnino ignotis disputavimus ad v. 451 sqq. Johannes hoc loco postulat, ut qui ad theologiae fastigium adscendere cupiant, antea et artis medicae et juris studia absolverint. Illa aetate eiusmodi eruditionem, quam encyclopaedicam nos vocamus, non inauditam fuisse et ipsius Johannis nostri et Petri Blaesensis et postea Vincentii Bellovacensis exempla docent. Ceterum de studiorum ratione, quae illa aetate in usu erat, conferas Hugonis de Sancto Victore totum, quod dixi, opusculum eruditionis didascalicae, ed. Rothomag. Vol. III. init. et Vincentii Bellovacensis Hand- und Lehrbuch für Königl. Prinzen und ihre Lehrer, übers. v. Fr. Chrph. Schlosser, Frankf. a. M. 1829, inprimis Vol. I, c. 11 et Vol. II, Abth. I., atque eiusdem Specula illa ingentia. Si neglectum videtur ab auctore nostro quadrivium, tenendum, hoc ex eius sententia jam a pueris esse colendum, sicuti ipse in eo versatus erat, priusquam Parisios venisset, Metal. II, 10.

Si jam a v. 375 inde laudem e rebus tantum Divinis quaerendam ducit, laudem hanc a vera virtute et fide non diversam videri, observes oportet. Categoriae, secundum quas hanc laudem persequitur, quamquam Stoicae dispositionis, quam in libro: *Philosophiae Chrysippeae fundamenta* P. IV, p. 216 sqq. exposui, similitudinem quandam prae se ferunt, non tamen eaedem sunt, sed in Aristotelis Me-

taphysicis latent l. II, p. 171, l. 10, ed. Brandis, ubi haec exstant: Ὅταν δή τις ζητῇ, τί τὸ αἴτιον, ἐπεὶ πλεοναχῶς τὰ αἴτια λέγεται, πάσας δεῖ λέγειν τὰς ἐνδεχομένας αἰτίας· οἷον ἀνθρώπου τίς αἰτία ὡς ὕλη; ἆρα τὰ καταμήνια; τί δ᾽ ὡς κινοῦν; ἆρα τὸ σπέρμα; τί δ᾽ ὡς τὸ εἶδος; τὸ τί ἦν εἶναι· τί δ᾽ ὡς, οὗ ἕνεκα; τὸ τέλος. Eaedem sunt causarum rationes, quae apud nostrum leguntur, sed non eodem ordine prolatae. Apud Aristotelem species seu forma tertium locum occupat, apud nostram vero secundum. Artifex vero, quem Johannes nuncupat, ab Aristotele movens dicitur, sed hoc movens ab ipso Aristotele pro arte agnoscitur; praecedunt enim hunc ipsum locum haec verba: δῆλον ὅτι ἡ τέχνη καὶ ἡ ἀρχὴ ὡς κινοῦσα ἡ αὐτή. Quod ad ordinem attinet, hae quatuor causarum categoriae saepius eaeque non eadem semper serie referuntur e. g. Metaph. I, p. 9, l. 17. Cum Metaphysica nondum in Johannis manus pervenissent, e Logicorum quodam loco vel commentario ei haec disponendi ratio innotuerit oportet, nisi jam pater aliquis ecclesiae vel scholasticus prior ad res divinas accommodaverit, quamquam Hrm. Reuter, § 16, p. 83, contra Jordanum aliis rationibus motus tenere studet, Aristotelis metaphysica Johanni nostro jam innotuisse. Ipsa saltem doctrina cuidam platonizanti debetur, qui quis fuerit, indagare non contigit. Cum materies ad Deum, artifex ad Spiritum Sanctum referatur, fere miramur, speciem et formam, quae in luce et veritate agnoscitur, ad Christum pertinere non diserte dici.

In veritate illustranda distinguuntur res, intellectus et sermones, quam distinctionem utpote Stoicam exposui Philos. Chrys. Fund. p. 30. Videmus patrem illum, quem Johannes sequitur, ad Philonis et Porphyrii exempla non Aristotelis modo, sed etiam Stoicorum doctrinas admiscuisse. Stoicae doctrinae vestigia, quae medio aevo rarissima sunt, cum apud Hugonem a S. Victore reperiantur, fortasse tota haec expositio ei debetur. Ei saltem consentit etiam philosophiae divisio, quae v. 445 sequitur. Erud. didascal. l. II, c. 2. „Philosophia dividitur in theoricam, practicam, mechanicam et logicam.“ Hanc divisionem, quam persequitur c. 19—31, etiam Richardus de Sto Victore recepit Excerptionum libro I, c. 5.

Hoc Excerptionum opus cum saepius Hugoni et Johanni nostro assentiatur, ut diximus, dubitare potes, utrum Johannes Hugonem, an Richardum secutus sit. Richardus quoque ei aequalis erat; etenim teste Vincentio Bellovacensi in Speculo hist. lib. 27, jam 1140 floruit, ut etiam prius eum scripsisse suspiceris. De philosophiae divisione cf. Reuter § 6, p. 30.

Singula, quae interpretatione indigere videbantur a versu 165 usque ad 450, haec fere sunt:

V. 177. *Maurus* i. e. Terentianus Maurus, qui metrice de Metris scripsit. Ille cum vocem Philologia ita metiatur ⏑ ⏑ –́ ⏑ ⏑, se excusat auctor, quod ipse etiam –́ ⏑ ⏑ –́ ⏑ metitur. Cf. Gramm. Lat. Ed. Putsch. p. 2405 sqq.

V. 198 etc. Mirum est scriptorem *Furvum* omnino incognitum esse: neque enim apud Johannis nostri aequales ullum eius vestigium reperire potui. Idcirco neque, qui pagus significetur Ligurinus i. e. in Liguria situs, liquet, (nam de Ligere flumine intelligi non potest, de quo si quid denominatur, Ligericum est,) neque cur ibi de florum germine nomen habere dicatur, neque quis Pontilianus sit, utrum ad Pagum Pontivum (Ponthieu) pertineat, qui vulgo Ponticus appellabatur, an ad similitudinem Pontiliani, qui apud Martialem Epigr. V, 67. et XII, 40. personam poetae mali, hominis inurbani et avari agit, neque utrum in Belgica prima auctor ille ignotus sit natus, an liber eius primum rursus in lucem tractus. Pontiliani nomine significari Adamum de Parvo ponte suspicantibus Herbstio et Bernaysio, non est, quod contradicam.

V. 205. *Wilielmus a Conchis* Johannis in grammatice praeceptor idemque philosophus praecipuo physicis excellens. Praeter Bulaeum II, p. 742 et Hist. litt. de la France XII, p. 454, conferenda sunt eius fragmenta in Vincentii Bellovacensis Speculo naturali, praecipue lib. II et III servata.

V. 211. *Stilbontis* i. e. Mercurii, cuius stella a Graecis ita cognominatur. Cf. Cic. Nat. Deor. II, 20. Mart. Cap. VIII, p. 287.

V. 241. *Adaptans* — verbum adaptare legitur in Modestini

fragmento Dig. 27. 1, 10 et 13, participium *adaptatus* jam apud Suetonium Claud. 33. Otho 12.

V. 348. *Tryphonis* nomen neque a grammatico, neque a bibliopola (Mart. IV, 72), sed a luxu et mollitie petendum, unde etiam Ptolemaeorum unus ita cognominatus est. Aelian V. H. XIV, 31.

V. 412. *Pagina sacra* i. e. scriptura sacra seu biblia hoc sensu apud auctorem nostrum saepe legitur; cf. v. 439. Pagina pro scripto jam apud Mart. Capellam lib. I. init. „epica vulgo lyricaque paginae."

V. 435. *Calculus* i. e. meditatio, judicium, dijudicatio, arbitrium, quo animus se ad Deum convertit. Fortasse a judicio hic vocabuli usus est profectus. Ita apud Justinianum in Codice: „Calculus judicialis." Vide Brisson. de Verb. Sign. et Dirksen Manuale Lat. et Du Cange s. h. v.

V. 449. Theoricus pro Theoretico etiam Policrat. II, 29. Cf. Hugo a St. Vict. Erud. didasc. lib. I. 6.

V. 451 — 1268.

QUIBUS EX LIBRIS JOHANNES VETERUM PHILOSOPHORUM DOCTRINAS NOVERIT.

Priusquam in disceptationem vocemus, quae de singulis veterum philosophorum institutis et praeceptis tradit, in genere quaerendum videtur, quae antiquitatis monumenta habuerit, e quibus huius rei notitiam hauriret. Ceteris enim scholasticis magistris excellit Johannes noster, quod reconditiorem habuit veteris philosophiae scientiam. Omnino supersedere potuissemus hac quaestione, si fides habenda Birgero Thorlacio, qui in tribus Prolusionibus a. 1819 et 1820 editis (repetitis in Prolus. et Opusculorum collect. Havniae 1822. Vol. V, p. 67 sqq.) fusius inquisivit,

„Qualem litterarum classicarum cognitionem sec. XII Johannes Sarisb. habuerit.“ Sed non satis accurate egit. Platonis de Republica et de Legibus libros tam saepe laudat Johannes, totque ex iis affert locos (Policrat. V, 7. VI, 21. VIII, 10 Metal. IV, 18), ut dubitare non possis, quin eos legerit, etsi non Graece scriptos, sed tamen Latine versos. Graece doctum fuisse Johannem eique libros Graecos non omnino defuisse constat inter omnes litterarum, quales eo tempore fuerint, peritos, cavendum vero, ne nimiam ei linguae Graecae peritiam tribuamus. Cf. Reuter p. 83. n. Platonis quidem apud illius aetatis scriptores reperimus notitiam accuratiorem, quam quae ex Cicerone, Augustino aliisque scriptoribus tum in vulgus notis parari potuerit. Instar omnium nominare satis est Hugonem a Sancto Victore; Graecorum vero librorum non major videtur fuisse copia quam linguae scientia. Operum Platonis Graece scriptorum ea aetate in regione occidentati nullum est vestigium, Latine autem versorum exstat testimonium obscurum quidem, sed satis certum. Plurimos quidem fugit haec notitia, et qui habent, Tennemann Gesch. der Philos. VIII, 1, p. 96. et Wachler Literaturgesch. II, p. 51, fontem non indicarunt. Contigit mihi eum detegere apud Benedictinos (Hist. litt. de la France, Th. IV. p 225 et 246) qui de Mannone vel Nannone quodam lectores ad Valerii Andreae Bibliothecam Belgicam deferunt, ubi s. v. Nannus haec leguntur: „Nanno Stauriensis Friso Philosophus in septem artibus excellenter imbutus, praeceptor Radbodi, scripsit: *Commentarios in Aristotelem de Coelo et de Mundo, In Ethicam universam, In Platonem de Legibus et de Republica*, quae aliquando in Bibliothecis Hollandicis ac Frisiis lecta fuerunt. Floruit circa annum Dom. DCCCLXXX.“ Tempus, patria, discipulus, doctrina et nominis similitudo dubitare non sinunt, quin universitatis Parisiensis ille fuerit rector, quem Bulaeus Hist. univ. Par. I, p. 191 et 261 Mannonem vocat. Huius versione vel commentariis usum esse Johannem veri eo similius est, quia praeter illa Platonis opera horum ipsorum Aristotelis librorum apud eum vestigia exstant, de quibus idem commentatus est Manno. Ethica ad Nicomachum Johannis in manibus fuisse, plures docent Policratici loci e. g. VIII, 2,

p. 454, c. 8, p. 486, affirmant versus nostri 874 sq., qui ad librum IV, 4 (περὶ τῆς ἀμφὶ τιμῶν ἐπιθυμίαν ἀνωνύμου ἀρετῆς) et 931 sq., qui ad IV, 5, (περὶ πραότητος καὶ ὀργιλότητος) respiciunt. Dubitationem quidem movere potest v. 935. *„Haec et Aristoteles fertur docuisse loquendo.* Illud *fertur* indicare quidem potest, non ex ipso Aristotele haec esse deprompta, sed ex alio quodam auctore, verum referri etiam potest ad sermonem (loquendo), vel eo, quod e commentariis notitiam hauserit, non ex ipso textu, quem vocant. Ethicos hos libros tum accuratius innotuisse, pro certo fere habendum, quia etiam Scotus Erigena „Novem in Moralia Aristotelis libros" scripserat teste Johanne Pitseo de rebus Angl. ad annum 884, p. 169. Sed Mannonis commentarios ei ad manum fuisse suspicor, propter librorum etiam de Coelo vestigia, quae in ipso nostro carmine v. 831 sq. et Policr. II, 19, exstant. Quae enim apud Cicer. de Nat. Deor. II, 15, 16 et Tusc. I, 10, leguntur, non ea sunt, ex quibus haec deprompta esse possint. Confitendum quidem rem esse difficiliorem, quam quae paucis absolvi possit, sed quae disputavi, nunc eo minus praetermittere volui, cum eum, qui novissimus hanc rem tractavit, hae notitiae fugerint, Jordanum dico eiusque interpretem („Gesch. der Arist. Schriften im Mittelalter" von Jourdain, Deutsch von A. Stahr), qui p. 283 contendit, Johanni nostro nullos alios Aristotelis libros esse lectos, quam qui a Boethio Latine versi medio aevo omnium manibus triti essent.

Timaeum a Chalcidio versum et commentariis instructum ei fuisse notum, pro certo habemus e locis in Metalogico I, 8 et IV, 9 allatis, quibus conferendus Augustinus de Civ. Dei VIII, c. 11. Sed non satis accurate distinxit, quos veterum libros ipse legerit, quos ex solis aliorum testimoniis attulerit. Sicuti Aristotelis Problemata non ipsa legit, id quod Thorlacius falso credidit, sed totum locum, quem ex hoc opere Policr. V, 6 affert, ad verbum e Gellii Noctibus Atticis (III, 6) exscripsit, ita neque quae Policr. VIII, 2, e Rhetoricis afferuntur, probant, ipsos Rhetoricorum libros ei ob oculos fuisse. Neque ullum Theophrasti opus legit, liber enim De Divitiis ei non nisi e Cicerone

(Policr. VIII, 2), liber De Nuptiis ex Hieronymo innotuit (Policr. VIII, 11 et Petrus Bles. Ep. 79. Max Bibl. Patr. XXIV, p. 998). Quos Plutarchi libros habuerit, accuratius inquirere, difficile neque operae pretium videtur, dubito vero, an liber De Placitis philosophorum in eius manibus fuerit. Praeter alia quaedam scripta moralia habuit illud subditiium Archigrammaton s. ad Trajanum epistolam De Institutione regia, quae in Policratici lib. V, VI etc. saepius affertur. Etiam Antonini Commentarios (Policr. VIII, 19, p. 557) et Philonis aliquot libros videtur habuisse, quamquam rursus in dubio relinquendum, quid Graece, quid Latine legerit.

Ceterum Philosophiae Graecae quam habuit scientiam, ex iisdem maximam ad partem scriptoribus compilavit, ex quibus nos hodie, Ciceronem dico, Senecam, Gellium, Macrobium, Apuleium, Augustinum, alios. Diogenis Laertii vestigium non reperi, sed cum in Johannis scriptis exstent, quae neque apud hunc neque apud ullum alium auctorem, qui quidem nobis servatus est, legantur, libros ei ad manum fuisse sequitur nobis deperditos. Neque fugit Thorlacium Johanni lectos esse Ciceronis de Republica, aliorumque libros, e quibus huc prae ceteris pertinet *Flaviani de Vestigiis philosophorum* opus, quod etsi semel tantum diserte nominat, saepius tamen arbitror esse adhibitum, quia ipsius Policratici s. De Nugis Curialium et Vestigiis Philosophorum operis alteram inscriptionis partem inde videtur traxisse. Huius libri alterum indagare non potui vestigium, aliis enim locis (Policr. VIII, c. 11, 12) auctorem, non librum allegat, Waltherus autem Burley *De Vita et Moribus Philosophorum* in Vita Platonis affert libri testimonium, sed nil nisi illum Johannis nostri locum exscripsit. Conjicias de veterum philosophorum moribus quae W. Burley tradidit ceteris ignota, ex hoc libro esse deprompta, sed cum Flavianum non afferat, nisi loco ex Johannis libris descripto, potius credendum, Burleio non ipsum Flavianum, sed libros ex eo compilatos ad manum fuisse, nisi mavis Schneidero adstipulari (in F. A. Wolfii Anal. litt. III, p. 227) conjicienti, habuisse Burleium Diogenis exemplum nostris minus laceratum. Quis fuerit, quando vixerit Flavianus, ignoramus, sed cum apud antiquos scriptores eius mentio non fiat, eum quinto seculo vixisse suspicor,

quo philosophiae studium etiam in Italia denuo accensum esse Cassiodorus, Boethius, Claudius Mamercns, Chalcidius docent. Eum Diogeni Laertio aemulum fuisse, loci ex eo servati significant. — Jam ad singulas philosophorum disciplinas transeamus.

V. 451 — 526.

DE STOICORUM DOCTRINA.

Duo tantum Stoicorum decreta retractat unum de timore mortis, alterum de fatali necessitate, quibus mira ratione interponit vocis definitionem. Quam a versu 451 usque ad v. 496 repetit et laudat mortis meditationem, apud verae Stoicae disciplinae cnltores, cum antiquiores tum recentiores, frustra qnaerimus. Ab iis timor vel metus inter animi perturbationes refertur radicitns tollendas. Etiamsi timorem hunc salutiferum inter animi perturbationes non jure retuleris, ii tamen soli mortis meditationem commendare possunt, qni animum immortalem credunt, ut iuter Stoicos recentiores Imperator Antoninus, qui et ipse hanc mortis meditationem suadet e. g. Comment. II, 11: *Ὡς ἤδη δυνατοῦ ὄντος ἐξιέναι τοῦ βίου, οὕτως ἕκαστα ποιεῖν καὶ διανοεῖσθαι.* Cf. II, 14, III, 1 et 3. Antonini philosophi commentarios ipsos Johanni esse lectos, supra jam verisimile duxi, quia Policr. VIII, 19, p. 557 etiam eius praeceptores refert nobis quidem ex primo commentariorum libro notos, quamquam utrumque Flavianus ille suppeditare potuit. Cum Stoica doctrina componit fidem Christiauam hac in re similem, cuius fontem Novnm testamentum v. 467 et 469 legem nuncupat, ut v. 523, quo vocabulo in ipso Novo Testamento Veteris testamenti pars indicatur.

Cur vocis definitionem v. 497—500 inseruerit, non habeo, quod dicam, nisi forte obedientiae mentio auctori memoriam revocaveri hortationis et vocis, qua haec indiget, si quidem vocis ope aliorum meates et corda reseri dicantur. Stoicorum de voce doctrinam vide apud Gell. N. A. V, 15. Plut. Plac. Phil. IV, 19, 8. Dio. Laert. VII, 55. Herbstius meus suspicatur, a Johanne fatum i. e. dictum quasi pro Dei voce esse habitum.

Stoicam de fato doctrinam unde hauserit, cum brevissime tractet, scire nullius est momenti. Praeter Gellium, cuius Noctes Atticae lib. VI, c. 1 et 2 de fato Stoicorum agunt, sine dubio etiam Ciceronis libros de Fato et de Divinatione consulere potuit. Fatum v. 504 „nullus evacuare posse" dicitur i. e. exhaurire vel exinanire, annihilare. Ita Policr. II, 21, p. 85: „Stoicus omnia necessaria credit, timens evacuari posse scientiam immutabilem. Econtra Epicurus eorum, quae eveniunt, nihil providentiae ratione dispositum, ne forte necessitatem mutabilibus rebus inducat, opinatur." Et ibid. VII, 1, p. 350: „Hinc est, quod, dum Pronoëa suam Stoicus veneratur, omnia necessitatis lege constringit, Epicurus econtra, dum rerum tuetur libertatem, dispositionem evacuat, et omnia casibus fluctuare contendit." Astrologi, quem sicuti Policr. I, 12, p. 32 et II, 19, p. 79, cum Gellio N. A. XIV, 1 genethliacum vocat, ratio quomodo a fato pendeat, e Stoicorum doctrina exposuit Cicero de Fato c. 6. et de Divin. II, c. 42—46. Stoicorum doctrinam de providentia, quam, opinor, metri causa, pronoia nuncupat, sibimet ipsam repugnare demonstrat v. 511 sqq. cf. Metal. IV, 31 et 32.

Ita Scripturae sacrae auctoritati aduectitur timor Dei, de quo Stoici illius doctrinae assentiri dicuntur, quibus de fato et providentia falsa docentibus auctor suam de libero arbitrio sententiam opponit.

V. 527—594.

EPICUREORUM DOCTRINA.

Ut Stoicae, ita etiam Epicureae doctrinae primo bonam, deinde malam partem tractat. Senecam De Vita Beata c. 12 et alias, atque Ciceronem de Fin. I, 11—12 Epicurum laudantes sequitur in bonam partem accipiens, summum bonum mentis esse gaudium et quietem, eamque parari labore, carnem vero subditam esse menti. Sed ubique Scripturae sacrae de pace coelesti doctrinam supponit. Epicurum enim tam contraria docuisse Senecae auctori credidit et fusius exposuit Pol. VII, 15 et VIII, 8. Ad alteram partem doctrinae v. 563 et 564 sibi transitum parat. De atomis quae traduntur v. 565—570 et de animi mortalitate v. 571—574 utrum potius e Lucretio an e Cicerone hausta sint, discernere nullius est momenti. Jam sequitur Epicuri de cupiditatibus sententia conjuncta cum doctrina de casu mundum gubernante v. 575—594. Haec praecepta, in Policratico VIII, 16 et 24 fusius exposita, unde deprompta sint, non dixerim, quamquam *ipsa verba* e certo quodam scriptore deprompta esse, locus arguit Policratici (VIII, 8), ubi Epicurei iisdem fere verbis significantur ut „illi, quorum Deus venter est et exspectatio in confusione, quorum gloria stercus et ignis et vermis.“ Quod largiore interpretatione indigeret, hic non reperi. Satis est monere, hac parte carminis reperiri ipsius auctoris sententiam de pace et aequitate animi deque pravis voluptatibus.

V. 595—726.

AUCTORIS PHILOSOPHIA AD PLATONIS ET ARISTOTELIS PRINCIPIA RELATA.

Argumento in margine codicum ad versum 595 adscripto, quod Peripateticorum dogma promittit, fides non est habenda.

Apparet euim, Stoicis et Epicureis jam eius philosophiae, qnam auctor ipse profitetur, opponi principia, eandemque, qnam hic persequitur, esse rationem illam Neoplatonicam a patribus ecclesiae et doctoribus scholasticis cum fide Christiana mixtam. Arctius igitur connectendi sunt hi versns cum ea carminis parte (v. 165 — 450), qna viam, rationem et finem exposuit philosophiae, cuins indolem nunc explicaturus est. In illa priore parte etiam Scripturam sacram principem et purum philosophiae esse fontem docuerat. Interposuit Stoicornm de meditatione mortis et Epicureornm de mentis gandio doctrinas, qnippe quae a veritate quidem non alienae viderentnr, sed non satis firma fundamenta, quibus superstrueretur philosophiae aedificium. Pro fundamento potius habet Platonis ideam boni non diversam ab Aristotelis causarum cognitione vel scientia, quare postea horum potissimnm doctrinas recenset, addit vero aliorum etiam sententias, sive conferant ad opus exaedificandnm sive probent, restare, quod excedat intellectum humanum. Quod attinet ad doctores Christianos, quos auctor potissimum secutus est, illa, qnae de priore illo loco commentatus snm, ex parte huc etiam pertinent. Id tantum repetendum duxi, anctorem saepius in Policratico et Metalogico profiteri, se Platonicnm et Academicum velle haberi. Proxime ad Angustinum accedit, qui et ipse in octavo de Civitate Dei libro Platonicorum commendat doctrinam, cuins rationem loquendi Thomsenius meus etiam hic, praecipue v. 625, agnovit. Proficiscitur auctor ab idea boni, illo Platonis principio causarum, quarum series est secundum Platonem natura, v. 595 — 624, neque diversa a ratione Divina v. 625 — 628. Dei vero imago est ratio humann in eius luce vigens v. 629 — 656. Triplice cognoscendi modo exposito v. 657 — 669 in causis cognoscendis secundum Aristotelem summum bonum agnoscitur, ut idea boni eadem sit atque causarum cognitio v. 670 — 680. Haec speculatio rerum contemtum mundi et timorem Dei parit horumque ope amorem Dei triuni v. 681 — 719, qui amor vincit omnem superbiam v. 720 — 726. Ut jam singula persequar: versus 597 et sqq. respiciunt ad v. 383, ubi idea boni accuratius illustratur. Lex, quae v. 607 causarum series vocatur, illa est unica causarum ratio v. 625, et divina vo-

luntas, neque diversa a natura creatrice, cui v. 627 opponitur natura creata. Ope lucis, quam supra v. 379 sqq. in disceptationem vocaverat, ratio humana rationis Divinae formam induit, quae similitudo Dei vulgo vocatur, accedens ad imaginem Dei homini innatam. Hac similitudine ut homo fruatur, muneris est usus vel gratiae donum v. 645 sqq. Triplex deinde tribuitur rationi humanae spectandi vel cognoscendi modus; primus est concretivus, quem nos syntheticum, secundus, quem analyticum vocamus, tertius, comparativus, logicae tribuitur, quia mentem humanam non per se solam, sed non nisi comparando logicae ope verum cognoscere posse ponit. Cognoscit mens verum causarum serie persequenda ad primam causam ascendens. Cf. Metal. IV, 39. Reuter § 7, p. 50 sqq.

Hac speculatione rerum dum coelestia et aeterna cum mundanis et vanis comparantur, accenditur mundi contemptus et Dei amor v. 679 sqq., qui inter se conjuncti efficiunt timorem Dei, qui secundum Scripturam sacram est Philosophiae principium. Hoc timore homo gratia Divina interveniente fit Deus ad Dei triuni instar v. 695 sqq. Nusquam legere memini hanc mysticam doctrinam tam diserte expressam. Sed ad hanc divinitatem, quam argumentatio hominum animis vindicavit, homines pervenire negat, nisi omnino superaverint fastum, id quod paucis vel nemini contigit. Cf. vv. 283 sqq. et 431 sqq.

V. 727—738.

ARCESILAE ET ZENONIS DOCTRINA.

Itaque recentioris Academiae et Zenonis Eleatici dubitationem omnino rejicit v. 727 sqq., quamquam alibi Academicorum mo-

destiam laudat atque suam facit cf. Policr. II, 34 et VII, 1 et infra v. 1139 sqq. Novimus simili ratione Abaelardum non minus quam Hugonem a Sancto Victore fluctuasse inter perfectam scientiam et cognitionis infirmitatem, quamquam Johannis nostri sententia tam clara, quam firma, certos cognitionis humanae fines constituit inter scientiam divinam et scientiae vanitatem. Gratiae Divinae ope homines a peccatis liberi etiam scientiae Divinae participes esse possunt, sed superbia capti ea rursus privantur. — Nihil esse, Zeno docuisse etiam alias dicitur; ubi vero nihil sciri posse probaverit, me quidem fugit, quamquam apud Senecam Ep. 88 sub fin. propter hanc, opinor, doctrinam Pyrrhonici et Academici ei adjunguntur. Suspicor tamen Johanni hic ad manum fuisse veteris philosophiae fontem nobis deperditum.

V. 739—772.

PYTHAGORAE DOCTRINA.

Etiam honorificum hoc de Pythagora judicium probat, quam pendeat auctor ex Neoplatonicis. Sophia, v. 740, nisi de Christo intelligenda sit, certe Gnosticorum ratione cogitatur, sicuti Mart. Capella I, p. 3. Pythagoras docuisse dicitur de zonis, de spiritibus vel daemonibus corpora permeantibus, de animarum corporibus inclusarum poenis et migratione, quae singula quidem hic vel illic aut ipsi Pythagorae aut eius discipulis tribuuntur, sed ubi hac ratione conjuncta legantur, me fugit. Sunt etiam, quae recedant ab iis, quae vulgo Pythagorae tribuuntur. Ita terrae sicuti coeli in quinque zonas divisio ab ipso Pythagora repetitur apud Stobaeum Eclog. Phys. I, 24, 1, p. 502. Plut. Plac. Philos. III, 14. Illud Pythagorae, se non esse sapientem (σοφόν), sed sapientiae amatorem (φιλόσοφον)

(Cic. Tusc. v. 3, 8 et 4, 10), v. 747 et 748 significatur, quod quomodo ad doctrinam de zonis pertineat, haud dixerim. Ita quidem versum 748 intellexeram et iuterpunxi, sed eundem corruptum habui. Herbstius vero meus et Gymnasii alumnus Bernays, cui et ipsi plagulas corrigendas dederam, recte monuerunt, comma non ante, sed post *poetam* ponendum esse, ut sensus fit hic: Pythagoras uou vult, philosophum esse poetam i. e. a veritate discedere. Novum etiam est, tres tantum esse zonas secundum Pythagoram et ad mediam zonam referri praeceptum illud, ut medium teneat bonus. Tertium numerum Pythagoreis multum valuisse, inter omnes constat. Cf. Arist. de Coelo I, c. 1. — Quod spiritus vel daemones corpora densa permeare, ab algore et aestu non affici dicuntur, posset ad felicem eorum vel primarium statum pertinere, quamquam ita singulare, quod in mundo sublunari versantur, nisi forte 755 obscura illa verba: *sed illos Nunc cohibet major [spiritus] arbitriumve Dei,* significant: *posse* quidem permeare per corpora spiritus, sed non facere ideoque ab iis exclusos esse. Sed corpora pervia esse spiritibus, cum Pythagoras docuisse dicatur v. 755, hoc potius ad doctrinam de anima mundi vel de daemonibus in aëre vagantibus referendum. Cf. Cic. N. D. I, 11, 27; Cato Maj. 21, 78. Diog. VIII, 32. Originem denique recreari vel aurea secla reverti, quod sciam, Empedocles, non Pythagoras docuisse vulgo traditur, quamquam hoc etiam Pythagoreum esse agnoscitur, ut, si non omnino purum, tamen vivum antiquitatis fontem Johanni manasse suspiceris. Malorum hominum animos in bestias migrare ex Pythagoreorum sententia inter multos alios docet Sen. Ep. 108. Hominum animos corporibus carcere esse inclusos, ex Pythagoraeorum sententia plures tradunt. Cf. Boeckh. Philolaos p. 178. Ceterum animus humanus quomodo ad animalia naturamque inanimatam ex Pythagorae sententia pertineat, deinde quomodo ad Deum Socrates cum retulerit, postquam docuit, horumque opiniones refutavit, in Anaxogorae doctrina recensenda suam ipsius exponit sententiam. Fusius tractatur Pythagorae res in Policr. VII, 4, ubi etiam, ut vulgo, Crotone, non, ut hic v. 741, Tarenti mores emendasse dicitur.

V. 773—806.

SOCRATIS DOCTRINA.

Etiamsi jam desperamus fontes aperire, e quibus hauserit Johannes, interdum tamen suspicari possumus, unde ipsi fonti copia sua suppetiverit. Cum Ciceronem et Apuleium Johannes noster diligenter legeret, quam Socrati tribuit de hominum animis doctrinam, ex huius *De Deo Socratis* libro vel e Ciceronis Laelio, c. 4, 13, deprompsisse videri potest, verum enim vero non ipsum Ciceronem vel Apuleium, sed alium Apuleii ope hanc doctrinam composuisse opinor, non quia, nt Augustinus de Civ. Dei VIII, 14 recte monet, Apuleius animos daemones credit a Diis diversos, sed quia Socratis doctrinam cum Christiana mixtam esse sequentia manifeste docent, id quod ab auctoris nostri diligentia et fide alienum est. Rerum naturalium studium a Socrate esse contemptum, inter alios Cicero docet Tuscul. V, 4, 10 et Acad. I, 4, 15.

V. 807—820.

ANAXAGORAE DOCTRINA.

Ex ignoto fonte etiam repetenda, quae Anaxagorae tribuitur de animo humano sententia. Loquendi ratio, *animos ex traduce nasci,* arguit auctorem, quem sequitur Johannes, fuisse participem illius patrum de animi origine controversiae. Quam cnm hoc loco suam faciat, Pythagoram et Socratem ut Inducianos rejicit, quippe qui animos e coelo in corpora hominum induci (per inducem venire)

crederent, Anaxagoram ut Traducianum, quippe qui una cum corpore, sed diversum ab illo a parentium animis gigni contenderet, ipse vero auimnm, quo tempore corpus gigneretur, novnm a Deo creari et corpori infundi vult, ut in Creatianos, qui nnncupabantur, sit referendus. Magnum sane argumentum, eum non omnino pependisse ex Augustino, qui cum Tertulliano animum per traduccm nasci docuerit. Cf. Fr. Ang. Carus Gesch. der Psychol, p. 390, 392 et 527.

V. 821—936.

ARISTOTELIS DOCTRINA.

Quos lcgerit Johannes Aristotelis libros, et qnid ei debeat, cum supra expositum sit, jam de singulis videamus:

Si v. 821 „*sermonum artes*“ possidere dicitur, hoc ad scribendi laudem pertinet. Cf. Policr. VII, 6. Judicii libri snnt *Analytica*, et inveniendi *Topica*, quae utraque in Metalogico fusius in disquisitionem vocantur.

Tres facultates, quae v. 824 ei famulari dicuntur, non sunt, quas nos vocamus, sed quas duobus versibns, qui sequuntnr, auctor significat, physice, ethice, logice. Ita in Metalogico II, 13 haec exstant: „Tres itaque *facultates*, naturalis, moralis et rationalis materiam praestant.“ Facultatem tnm vocatam esse disciplinam vel certum litterarnm genus, multi docent loci.

Aristotelem prae ceteris philosophum vocari, sicuti Virgilium poetam (v. 827 — 830), etiam in Policratico tradit VII, 6 et Metal. IV, 7.

V. 849 et 850 tangit quaestionem de Universalibns tum magna cum animornm perturbatione agitatam. Johannes noster, etsi a parte Realium stabat, redarguit tamen sententiam eorum, qui Aristotelem

cum Platone componere studerent. Ita hoc etiam loco breviter significat, Aristotelem ad Nominalium sectam quodammodo accedere; *esse* enim ait non nisi individuum (τόδέ τι), ationis vero opus vel intellectum esse notionem communem, quam hic conformem statum appellat. *Status* vero significat copiam attributorum vel praedicatorum majorem vel minorem i. e. notionis intensionem, quam logici dicunt, qui *conformis vel idem* est omnibus rebus, quae in hanc notionem cadunt et eius extensionem efficiunt. Metal. II, 17, cf. Policr. VII, 12.

Ab Apolline Aristotelem esse progenitum nusquam legi; ipse quidem Noster Policr. VII, 5 de Platone hanc famam novit, ibidem vero c. 6 incubum Aristotelis patrem esse habitum tradit. Cf. Diog. Laert. III, 1 et Menag. ad. h. l. Si Aristotelem laudis captatorem appellat, hoc minus ex ipsis eius scriptis eruit, quam testimonia secutus est Ciceronis (Tuscul. III, 28, 69) et Valerii Maximi (V. 6), ad quem ipse provocat, Policr. VII, 6.

De superbia, ex Johannis nostri sententia omnium peccatorum fonte, jam egimus in Comm. ad 595—726; cf. Policrat. VIII, 5. De amore habendi vel avaritia et quacunque libidine vide Policr. VIII, 16. Ut inprimis superbiam impugnaret, adversariorum arrogantia videtur esse impulsus. Ubi Aristotelis humilitatem commendaverit, nescio, nisi mansuetudinem (πρᾳότητα) significat, Eth. Nicom. IV, 5.

V. 937—1118.

PLATONIS DOCTRINA.

Quae ex Platonis philosophia desumpta perspicue componuntur, ea maximam partem e Timaeo et Chalcidii in eum Commentariis deprompta agnovimus, quamquam nonnulla utrum ex Chalcidio, an

ex Apuleii scriptis, inprimis de Habitudine doctrinarum libro primo petita sint, in dubio relinquendum. Ita Plato nominatur *symmystes*, quod vocabulum Apuleio et Hieronymo est commune. Scibilium vero divisio et cognitionis humanae fines quamquam in libris de Republica quinto et sexto praecipue tractantur, tamen nostro loco brevius commemorantur, quam ut fontem prodant. Quae deinde v. 943 sqq. de materia disputantur, clariora vel magis definita sunt, quam quae ipse dedit Plato vel eius interpres p. 183 ed. Paris 1563. De Dei aeternitate, deque mundi initio agit ipse Plato Tim. p. 37 sqq., Apuleius De Habit. doctrin l. I et Chalcidius p. 77 etc., quamquam dubitandum est, an Johannes jure mundi exordium statuerit ad mentem Platonis. Quae jam sequuntur de temporis et loci cum numeris nexu obscuriora sunt. Ubi quinque hae notiones: numerus, pondus, mensura, locus et tempus a Platone ita componantur, me fugit, quamquam ex eius mente hoc factum esse non negaverim, siquidem illae sunt ideae, quae etsi numeris constant, tamen se invicem commetiri non possunt ideoque asymmetri vel non symmetri sunt; ideae enim, quae eodem gradu ab idea superiore vel ulteriore distant se invicem commetiri non possunt, sed ad genus superpositum iis commune sunt referendae. Itaque subdita primorum generum non magis, quam antigena vel antegena, i. e., glossariis vetustis suppeditantibus, *προγενηθέντα* vel ipsa prima genera non sub similem rationem cadunt i. e. sibi asymmetra sunt, sicuti apud Aristotelem legimus ex Platonis mente de idearum numeris *οὐ συμβλητοὺς εἶναι τοὺς ἀριθμοὺς πρὸς ἀλλήλους;* cf. Fr. Ad. Trendelenburg: Platonis de Ideis et numeris doctrina ex Aristotele illustrata. Lips. 1826, inprimis p. 74.

Quod v. 965 sqq. causarum series refertur ad numeros, hoc rursus recte disputatur ex Platonis mente, quamquam ubinam hoc modo in universum declaratum sit, non memini. Sufficiant igitur exempla Tim. p. 64 A, 65 B, 68 E. Cf. Chalcid. p. 31 et 169. Itaque confertur causarum series infinita cum numerorum immensitate. De differentia, quae obtineat inter Dei et hominum cognitionem, non est, quod hic disputem; cf. supra v. 937, infra v. 1093. De animorum creatione agit Plato Tim. p. 69, c., sqq. et Chalcidius

p. 102, de animarum migratione et anno magno, quo praeterito in coelum redeant Tim. p. 39 D et 42 E sqq., Chalcid. p. 105; sed non minus conferendus est locus Phaedri p. 248 sqq., de duplice denique animorum motu Chalcid. 128, 155.

Brevius et obscurius v. 995—1012 noster loquitur de lunae, quam v. 995 Cynthiam i. e. Dianam appellat, et solis vi et effectu, neque, quod sciam, ex propria Platonis, sed communi Graecae antiquitatis sententia, quae non modo, quod per se apparet, calorem ex sole oriri credebat, sed etiam, quod nobis fere mirum videtur, humorem ad lunam referebat. Communem hanc Graecorum sententiam fuisse, mythi docent, defendebant eam, ne de philosophis Jonicis dicam, Stoici, (cf. Plutarch de facie lunae Opp. II, p. 932), Johannes quidem noster novit etiam ex Plinio H. N, II. 1. Fugit me, unde factum sit, ut Platoni tribueretur haec opinio. Noster deinde a solis luce repetit imaginem differentiae et conjunctionis, quae obtinet inter Dei et hominum scientiam, siquidem ut solis lux et oculos videre facit et eorum aciem praestringit, ita divina sapientia, quae homines illustrat, si nimia est, hominum mentes obtundit.

V. 1013—1042. Platonis et Aristotelis principia ita juncta vel mixta sunt, ut difficile discernantur, quamquam initio et fine loquendi ratio Aristotelis, medio quae Platoni est est familiaris, vel ubique potius Neoplatonicorum dictio agnoscitur. Aristotelis formae Platonis ideis sunt accommodatae, idearum vero participes vivunt res omnes in ratione Dei, qui informis est formarum forma vel idearum origo et vis simplex, diversus ille a Diis inferioribus et compositis, quos singulis naturae partibus praefecit. Tim. p. 39 sqq. Chalc. p. 94 sqq. Joh. Metal. II, 20; IV, 35.

Singuli ejusmodi Dii praesunt elementis et astris, eo superiores illi, quo remotiores a terra, omnes vero subjecti sicuti particulares communi mundi animae. Tim. 34, c. sqq. Chalc. p. 52 sqq. Jam cum auctor ad terram transeat, ab eo primum diversa elementorum dignitas describitur, deinde rerum terrestrium origo et mutatio ad res coelestes referuntur tamquam causam vel rerum naturam. Elementum inferius per superius lui et purgari et res sublunares imperfectiores regi ab aeternis ultra lunam positis, utramque Pythagoreo-

rum sententiam (Diog. Laert. VIII, 26, 27, 32, 33.) Neoplatonici cum Platonis et Aristotelis institutis miscuerunt. Cf. Metal. IV, 37 sqq.

Zodiaci et planetarum ratio v. 1067—74 quomodo ad terram pertineat, Plato Tim. p. 36 et Chalcidius p. 58 docent. Terrae vero natura minus pura et divina etiam hominum impedit scientiam v. 1075—1092, de qua conferenda sunt, quae diximus ad v. 937, 629 et 375, ubi quae exposita sunt, pertinent etiam ad illustrandum id, quod sequitur de discrimine inter divinam et humanam scientiam, v. 1093—1109, nisi quod hic etiam diaboli mentio fit, quippe qui quondam angelus plura quidam sciat, sed fallere studeat. Cf. Metal. IV, 34.

V. 1119—1164.

DE ACADEMICORUM DOCTRINA.

Nimiae Arcesilai dubitationi, quam supra v. 726 respuit, hic quoque ut prioris Academiae rationi opponit aliorum Academicorum modestiam et temperantiam. Satis constat, doctrinam praeferri a Johanne nostro tertiae Academiae, quippe quae non certam quidem hominibus concederet scientiam, sed, hac Deo reservata, verisimilitudinem quandam conjectura nitentem. Huius doctrinae auctores nobis e Cicerone innotescunt Clitomachus, Philo atque Antiochus. Quos cum Johannes non ignoraret, mirandum ab eo auctores laudari alios nobis omnino ignotos, Endymionem et Antisthenem. Endymionis alias nullum exstat vestigium. Antisthenem vero eundem fuisse putaverim, quem Diogenes Laertius Rhodium et historicum nuncupat (VI, 19), cuiusque librum de Sectis philosophorum saepius idem adhibuit. Hunc, quem Polybius XVI, 14,

sibi aequalem fuisse tradit, cum Phlegon Trallianus Peripateticum (Mirab. 3) nuncupet, a nostro Academico diversum fuisse aliquis conjiciat, sed cum eo tempore Stoicorum et Academicorum doctrinae cum Peripatetica misceri solita esset, hac discrepantia non est quod turbemur. Cf. Censuram nostram libri Fr. Osann Beiträge zur Griech. u. Röm. Litteraturgesch. in Berl. Jahrb. für wissensch. Kritik. 1836. N. 69 sqq. Ita fieri certe potuit, ut idem et Peripateticus et Academicus appellaretur. Ceterum de hoc Antisthene conferendus Vossius de hist. Graec. III, p. 393 ed. Westerm.

Differentiam Academicorum, quam hoc loco ponit, longius persequitur Policr. VII, 1—3 et 6, quamquam non nominat, qui utrique parti adhaeserint, ubi etiam temperamentum, quod hic laudat, accuratius describit, c. 2, fine: „In his itaque facile crediderim, Academicos tanto modestius dubitasse, quanto eos temeritatis praecipitium diligentius praecavisse reperio. Adeo quidem, ut, cum apud scriptores in locis non passim (sic!) dubiis verba quodammodo ambigua, qualia sunt haec: *si forte*, *fortasse* et *forsitan*, proferuntur, Academico dicantur usi *temperamento*.“ Ipsa adscripsi verba, quia Academicorum rationem hoc vocabulo ab antiquo philosophiae auctore exposita me legere non memini.

V. 1165—1268.

DE SCRIPTORIBUS ROMANIS, QUIBUS USUS EST AUCTOR.

Recte scriptoribus Romanis, quos quidem noster recenset, temperamentum Academicum adscribit, siquidem, etsi non omnes quidem Academici sunt, ut Cicero et Varro, omnes tamen non unum auctorem sequuntur, sed ex variorum sententiis suam quisque doctrinam

componunt. Ad singulos quod attinet, imprimis quaerendum, utrum Johanni nostro Varronis fuerint libri nobis non superstites. Thorlacius p. 107 credidit ei lectos esse libros Antiquitatum Divinarum et Humanarum, quod negat L. H. Krahnerus in Comment. de M. Ter. Varronis antiqu. rer. hum. et div. libris p. 30. Sed ubi in libris vel fragmentis alibi servatis Varro Musaei doctrinam retulerit, me adhuc fugit, quamquam plurima, quae de Varrone et ex Varrone affert, Augustino debere potest, cui (de Civ. Dei VI, 2) etiam de scribendi genere, quo utebatur Varro, judicium (v. 1180) se debere ipse Johannes profitetur Policr. VII, 9, p. 376. Etiam Moysen Musaeo natu majorem praedicat Augustinus de Civ. Dei XVIII, 37. Neque tamen novi, ubi de Musaei nomine Moyses nomen traxisse creditus sit, contrarium contendisse Judaeos constat, sive ipsum Moysen a Graecis Musaeum esse appellatum sive Musaeum vel Orpheum Moysis fuisse discipulum arguebant, (Eus. Praep. Ev. IX, c. 6—8 et 27). quare Herbstium sequor monentem v. 1191 nihil aliud significari nisi Moysen etiam Musaeum esse appellatum. De allegorica librorum Mosaicorum interpretatione non est, quod addem iis, quae ad v. 185 disputavi. *Ciceronis*, de quo post Varronem agit, inprimis de Natura Deorum et de Fato libros respici apparet. Quod de moribus eius profertur judicium, rursus Augustini est, qui Confess. III, 7. „Inter hos, inquit, (causidicos) imbecilla tunc aetate discebam libros eloquentiae, in qua eminere cupiebam, et usitato jam discendi ordine perveneram in librum quendam cuiusdam Ciceronis, cuius linguam fere omnes mirantur, pectus non ita.“ Quem locum ex van Heusde Encyclopaedia II, p. 114 mihi suppeditavit gymnasii civis Maass in apographo a vitiis purgando mecum occupatus. Illud Quintiliani denique de Seneca judicium, quod Inst. orat. X, 125 sqq. legitur, magis est notum, quam quod hic repetatur. Versu vero 1261 non ad Quintilianum, sed ad Caligulae dictum apud Suet. Calig. c. 53 respici reperit Bernaysius. Omnes scriptores, quos hic nominat, nobis superstites etiam Johanni lectos esse, Thorlacius videtur effecisse p. 94—100.

V. 1269—1290.

DE FIDE CHRISTIANA GENTILIUM DOCTRINAS SUPERANTE.

Gentilium scriptorum sententiis recensitis ad fidem Christianam se revocat factis probandam. Eiusmodi fidei et moribus opponit aulae pravitatem, cuius memor, ne carmen ab aulica juventute ludus fiat, veretur. Sed sibi sufficere addit gravium virorum judicia et se Thomae cancellarii praesidio et favore contentum fore fatetur v. 1283—1290. Hisce sententiis transitum sibi parat ad alteram carminis partem, qua patriae sortem et morum pravitatem deplorans sibi et fautori philosophiae fructum promittit in malitia comprimenda, virtute fovenda et rebus adversis fortiter tolerandis.

V. 1291—1360.

DE PRAVIS ILLIUS AETATIS MORIBUS ET CANCELLARII VIRTUTIBUS.

Tutum cum se praedicasset favore Thomae tum cancellarii, cuius jussu ad scribendum animum appulisset, quem Theobaldus archiepiscopus sibi successurum speraret, ut ille de Anglia meritus sit, quas difficultates superare debuerit, quo latius pateat, pravos regis Stephani mores v. 1301—1314 et malam juris dicendi conditionem v. 1315—1330 adumbrat. Ibi si v. 1311 et 1312 legimus:

„Ponitur exemplar legum populumque regendi
Et bene vivendi formula certa datur."

rogandum, utrum post v. 1310 signum commatis, quod dicimus, poni debeat, ut rex ipse ponatur exemplar legum, regendi vivendique formula, an cum apographo Hamburgensi ante hos versus inter-

pungendum i. e. puncti signum ponendum. Hoc, quod etiam posterior versus suadet, cum praeferamus, quia rex non certa formula dici potest, quaerendum, quod legum exemplar, quae formula certa vivendi regnante Stephano data sit. Ampliores eiusmodi leges Stephanus non dedit, quare ab auctore respici oportet aut promissa, quae dederat, cum regnum susciperet, aut ea, quae Oxoniae cum principibus regni pacta erant. Lappenberg Gesch. v. Engl. II, p. 299 et 300. Ceterum conferendi sunt versus 1331—34 de jure per Hircanum condito.

Nomina feminarum, quae in moribus illustrandis exempli gratia afferuntur, ex variis scriptoribus sunt collecta. Lauronia vel Laronia apud Juvenalem contra viros, qui, quamquam ipsi multo impudentiores, feminas tamen accusant, sexum suum defendit II, 36:

„Non tulit ex illis torvum Laronia quendam
Clamantem toties: Ubi nunc lex Julia? dormis?“

Quo ex loco auctor noster etiam legis illius ab Augusto contra adulteria latae mentionem deprompsit. Florae nomen in Laroniae sermone v. 49 apud eundem poetam exstat. Quartilla apud Petronium in Satyrico meretricis impudicae partes agit. Unde Silviae et Syllae nomina deprompta sint, pro certo non dixerim. Silia quaedam Tacito auctore (Annal. XVI, 20) Neroni se dabat. Sabina saepius castae mulieris exemplar e. g. apud Juvenalem VI, 164 et apud Martialem IX, 41, 5:

„Quam castae quoque diligunt Sabinae.“

Quatuor, quae v. 1337 nominantur, feminae mihi videbantur pro impudicis babendae omnes, quae alia post aliam regiis amori servissent. Herbstius vero agnovit Rheam Sylviam, virginem vestalem, quae, ut Laronia, exemplum esset pudicitiae et innocentiae ab aula fugatae regnante Stephano, qui v. 1338 lateret sub nomine Syllae, dictatoris Romani et tyranni libidine infamis.

In tanto scelerum cumulo solus restat cancellarius, ad quem fugiat virtus, libertatis ille vindex et fortis ecclesiae defensor v. 1355 — 1360. Transit enim poeta a Stephani aetate ad suum tempus ita, ut dubius haereas, id quod consilio factum arbitror, quid ad illum, quid ad Henricum II, pertineat.

V. 1361—1434.

DE MANDROGERO, ANTIPATRO ALIISQUE HENRICI II OFFICIALIBUS.

Jam ministros aggreditur regis Henrici II malevolos et violentos, quibuscum cancellario dimicandum erat, sed fictis significat nominibus, ut, pro manca illorum temporum notitia, difficile sit pro certo affirmare, quos ubique notaverit. Tres prae ceteris insigniuntur viri summis honoribus ornati, quos Mandrogerum, Antipatrum et Sporum appellat. Mandrogeri nomen e comoedia depromptum est, quae Querolus inscripta (cf. Policr. II, 25), nuper Aulularia nuncupata et ab Osanno edita, Plauti nomine jam eo tempore venditabatur, quamquam non multum antiquior est ipsius Johannis nostri aetate. Qua in comoedia cum Mandrogerus astrologi dolosi pietatem simulantis partes agat, iidem mores huic Mandrogeri personae sunt tribuendi. Nomen, quod apud veteres non legitur, compositum videtur ex mandra (mulorum grex, Juven. III, 237) et γέρων vel gerere, ut asinarium significet vel mulionem, nisi praeferas vocem corruptam putare ex mandragora, herba, quam Columella X, 19 semihominem appellat. Antipatrum clero infensum hac ipse de causa, quod contra patres i. e. clericos ageret, appellatum esse poeta ipsa profitetur. Sporus denique, quem pecunia se facile corrumpi pati arguit, cognomen illius adolescentuli, qui apud Neronem magna fruebatur gratia, propter simile, opinor, impudicitiae opprobrium nomen accepit. Sueton. Ner. 28. Tempus, quod hoc loco respici potest, finibus anni 1154, quo Henricus in regno successit, et 1160, quo Johannes carmen nostrum composuit, circumscriptum est. Itaque, Lappenbergio consulto, mihi res tunc gestas memoria repetenti visum est, Mandrogeri et Antipatri nominibus non alios latere nisi Robertum de Bellomonte Legecestriae comitem et Richardum de Luci, qui ambo tum imprimis regis gratia fruebantur et in clero persequendo saltem

postea regi servierunt. Utrumque tamen jam Stephani in negotiis fuisse versatum et Henrici II etiam ante a. 1160, quo carmen compositum esse docuimus, non est, quod dubitemus. Henricum vero jam prius non celasse, quid contra ecclesiam in animo haberet, atque simultates inter regem et ecclesiam jam ante hoc tempus esse coeptas, et carmen nostrum hoc loco confirmat, neque alia indicia desunt. Nihil enim aliud, nisi regis jam erumpens inimicitia Johannem nostrum de aula repulit, nihil aliud Theobaldum commovit, ut moribundus regem pacis servandae moneret, (Ep. 64, Max. Bibl. Patr. XXIII, Ep. 64. p. 427, Bouq. XVI, p. 503) et Thomam, ut regi archiepiscopi dignitatem offerenti vel obtrudenti tam acriter resisteret.

Ut ad Richardum et Robertum redeamus, uterque fuit regis justitiarius, quamquam non eodem tempore, sed unus post alterum; Richardus enim plerumque Angliae praefectus appellatur superstite Roberto, post eius mortem justitiarius, quo munere antea Robertus erat functus. Mandrogeri nomine judicem significari eum appareat, vix alius esse potest atque Robertus de Bellomonte Legecestriae comes. Hic filius Roberti de Mellent, qui a. 1118 mortuus erat (Bouq. XIV, p. 4, a. et 268), a. 1138, teste Orderico Vitali, in Gallia pro rege Stephano pugnavit (Bouq. XIII, p. 559, n.) quocum etiam, teste carminis nostri auctore (v. 153), arctissime conjunctus erat. Sed postea ad Henricum, qui, ut bella contra Stephanum moliretur, ad Angliam appulerat, transiit (Bouq. XIII, p. 91, b.) et ab eius parte fortiter pugnavit (p. 43, a.). Nobili loco ortus maximisque opibus instructus inter primos Henrici partes est amplexus, quare summis praemiis a rege eum esse affectum et suspicandum est et testimonia affirmant luculenta. Cf. v 1363. Ita instrumentum pacis, de qua a. 1160 inter Ludovicum et Henricum convenerat, Roberti agros a Ludovico in Henrici ditionem vindicat. (Bouquet. Vol. XVI, p. 21). Quando summi iustitiarii officium ad eum sit delatum, alibi non traditur; id ante annum 1160 factum esse, carmini nostro credendum. Eum praefuisse judicio, quo Thomas a. 1164 est condemnatus, cum *Alani Historia tripartita* tradit, tum et ipsius regis mandatum confirmat, quo Ludovicum Galliae regem

monet, ne condemnatum reciperet, et Thomae ad ipsum epistola, qua, ut eum huius facti poeniteret, adhortatur. Bouq. XVI, p. 107, c. et 233. Quod in rebus Henrici narrandis apud chronographos rarius Roberti mentio fit, ex vi et natura negotiorum, quae administrabat, intelligitur. Judicia enim plerumque minoris videbantur momenti, quam quae compendiaria illa narrandi ratione referrentur, ad res vero a judiciis alienas rarius Robertus videtur esse adhibitus, ut in Renigaldo archiepiscopo Coloniensi minus solemniter salutando. Bouq. XVI, p. 238, n. Quantum nihilominus auctoritatis ei sit tributum, inde cognoscimus, quod mortem eius plurimi quidem memoriae prodiderunt. Bouq. XIII, p. 208 b, 312 d, 748 a, XVI, 590 c. De moribus eius nihil traditur, quod cum Johannis nostri judicio conferri possit, praeterquam quod ab Henrico Hundingtonensi (Ep. ad Walterum de contemtu mundi Bouq. XIV, p. 268) „laude parvus" dicitur.

Plura et accuratiora traduntur de Richardo de Luci vel Luceio. Quem quae Antipatri nomine significari vix dubium relinquunt, eadem affirmant, Mandrogerum non alium esse atque Robertum. Pace inter Stephanum regem et Henricum ea aetate Normanniae ducem a. 1154 composita Richardus turrem Londinensem et motam i. e. castellum Wyndesores custodiendas accepit archiepiscopo juratus, se post Stephani mortem haec castella duci in regno succedenti esse traditurum Bouq. XIII, p. 101, n. Idem in decretis Claringdonianis, quae clerum privilegiis privarunt, exsequendis studiosissimus erat (Bouq. XVI, p. 215 b, 216 a) et litteras subscripsit regias, quibus Angliae episcopis interdictum est, ne Thomam eiusque comites de reditibus suis quidquam percipere paterentur. Bouq. XVI, p. 233. Anno 1165 in Angliam missus est, qui prohiberet, quominus clerici papam appellarent (Bouq. XIII, p. 129 b.) et sequenti anno Romam, ut papam regi reconciliaret, XVI, p. 255, 258, 262. Quantum auctoritatis et confidentiae habuerit, inde apparet, quod odium regis in Thomam concitasse et ne pax restitueretur, impedisse dicitur (in Anon. epist. Bouq. XVI, p. 236 d.) et a. 1166 a Thoma prae ceteris cum Joscelino de Baillot, episcopo Sarisberiensi, excommunicatus est, ut *„pravitatum illarum auctor et fabricator."* Bouq. XVI.

248. e. Ceterum ut Angliae praefectus a. 1167 in Anglia defendenda occupatus erat, a. 1168 regis nomine cum rege Galliae de pace egit, a. 1172 litteras, quibus Thomas restitutus est, pro teste subscripsit, eodem anno contra eos arma gessit, qui cum filiis a rege defecerant. Anno 1176 pro tot tantisque meritis regi suspectus et ingrate tractatus, a. denique 1179 castello suo privatus muneri et negotiis renuntiavit. Cf. Bouq. Ind. Vol. XVI.

Quem Spori nomine significet Johannes, difficilius est extricatu. Duo prae ceteris regis officialibus nobis se offerunt in clericis persequendis studiosissimi, quorum alterum hic intelligendum putaverim, Richardus de Humez constabularius et Guilelmus Hamonis filius, senescallus. Utrumque in decretis Claringdonianis Pictavii exsequendis occupatum videmus Bouq. XVI, p. 215 c, 216 a, 217 a. Richardus de Humez jam a. 1160 pacem cum rege Gallorum compositam testis subscripsit (XVI, p. 21 a), postea excommunicationem a Thoma adversariis intentam impedire studuit (p. 520), a. 1173 pacis cum Thoma restitutae instrumentum testis subscripsit (p. 487, d). In bello etiam regi contra filios gerendo a patris stetit partibus (XIII, p. 154 a, 162 c) atque, etsi non semper honorifice tractatus a rege iracundo (XVI, p. 256 e), tamen usque ad mortem constabularii munere est functus (XIII, p. 324 a). Etiam Guilelmus eo jam tempore, quo Johannes hoc carmen composuit, regis minister erat tam nobilis, ut documenta publica subscriberet. Anno enim 1158 et 1159 eius nomen in edictis regiis inter testes reperitur, quorum in altero dapifer Nannetensis vocatur (Bouq. XVI, p. 636 b, 637 b). In epistola quadam ad Ludovicum Galliae regem a. 1164 vocatur senescallus regis Anglorum (Bouq. XVI, p. 98 b) et a Roberto de Monte in Chronico a. 1172 senescallus Britanniae (Bouq. XIII, 315 b). Significari potissimum Guilelmum suspicamur nullo alio argumento commoti, nisi quod hic a Ludovico rege accusatur magistrum quendam omnibus praepositurae reditibus spoliasse.

Quae a v. 1427 inde sequuntur ficta aulicorum nomina ex Horatio, Persio, Juvenali, Martiali sunt deprompta, quorum versus sunt consulendi, ut mores nominibus significati agnoscantur. Di-

nomaches vel Dinomachae filius est Alcibiades, adolescentis arrogantis et vani exemplum apud Persium Sat. IV, v. 20:

„Dinomaches ego sum! „suffla. — Sum candidus!“ — Esto“.

ubi genitivi formam Graecam *Dinomaches* Johannes noster pro nominativo videtur accepisse. Viri mollis et effeminati exemplum apud eundem I, 4 (18) est Polydamas:

„Ne mihi Polydamas et Troiades Labeonem
Praetulerint!“

Cato et Curius, quos in aula nihil valere queritur, pro fortibus probis et integerrimis viris saepius apud poëtas veteres nominantur, e. g. Juven, II, 3.

„Qui Curios simulant et Bacchanalia vivunt.“

et II, 40.

„Tertius e coelo cecidit Cato.“

Cf. II, 153, VIII, 4, XI, 78, 90. Hor. Ep. I, 1, 64, II, 2, 117. Photinus perfidus ille Pompeii interfector ex historia (cf. Lucan. VIII, 483 et Joh. Policr. VIII, 17), ut e Martiali Epigr. III, 66, V, 70, notus a nostro pro ignavo proditore appellatur. Cui ut Labeonem adjungeret, Persii versu I, 4, quem attuli, commotum suspicor poetam. Thrasonis militis gloriosi et meretricis personas e Terentii Eunucho depromptas non defuisse in aula, non est, quod miremur. Thaidos nomen eodem sensu etiam apud alios poetas legitur, e. g. Juven. III, 93; Mart. III, 8; V, 44. Sabinus denique, qui hic vocatur gratus, etiam apud Martialem Ep. IX, 59 pietatis est exemplum:

„Nympha sacri regina lacus, cui grata Sabinus
Et mansura pio munere templa dedit.“

Cf. VII, 96 et Juv. X. 299. Juvenis igitur innocens etiam in aula gratus est, sed non diutius, quam aulici eius adolescentia gaudent i. e. opinor eius innocentia et simplicitate, quae iis non nocet, simulac vero barba fruticans severitatem et fortitudinem promittit, eum aspernantur, nisi forte de paederastiae abusu cogitaveris, cuius suspicionem verba movent, quae apud Juvenalem de pathico leguntur Sat. IX, 15.

„Sed fruticante pilo neglecta et squalida crura;“

quamquam pietas, quae significatur,.. hanc suspicionem respuit. Vocabula *visu gravis* equidem intellexeram de gravitatis specie, quam Sabino tribuerent, ut Thraso ironice appellaretur vir gravis. Sed, id quod Herbstius monuit, interpunctione sublata vir gravis evadit honestus a Thrasone et a Sabino diversus, qui hic visu est gravis i. e. cuius adspectus in aula est molestus. Hisce nominibus utrum certos regis ministros significari, an mores eorum in universum indicari voluerit, dici vix potest; nam et mores hic non satis accurate sunt descripti et regis amici et ministri nobis non satis noti. Sufficit igitur enumerare regis officiales et clericos ei deditos. Innotuerunt nobis ex simultatibus, quas ille proximis annis cum Thoma habuit: Richardus Ely thesaurarius (Bouq. XVI, 636), Hugo de Cleers, qui fortasse non diversus est ab Hugone comite Cestriae (XVI, 217), Randolphus de Broc, Reginaldus de Warenne, Gervasius vicecomes Cantiae (p. 464), Hugo de Sancto Claro, Thomas filius Bernardi (p. 248), Richardus frater Guilelmi de Hastinga, Wimarus vel Guilelmus Giffart, Adam de Cheringis (p. 345 et 354). Ex clericorum numero a partibus regis stabant: Rogerius archiepiscopus Eboracensis, Gilbertus episcopus Londinensis, Jocelinus de Balliot episcopus Sarisberiensis, Arnulphus Lexoviensis episcopus, Rotrodus episcopus Ebroicensis, Gaufridus Ridel archidiaconus Cantuariae, Nigellus de Saccavilla eius clericus, Richardus de Welchestre archidiaconus Pictaviensis, Robertus clericus de Broc, Letardus clericus de Norflece (Bouq. ibid.).

V. 1435 – 1530.

DE MORUM PRAVITATE ET CANCELLARII IN EOS EMENDANDOS MERITIS.

Hanc morum pravitatem cernens cancellarius aulicorum mores imitatur, ut ipsos sibi devinciat et ad melius convertat, quam fraudem piam exemplis auctor defendit v. 1435 — 1462. Ad hanc pravitatem describendam revolutus v. 1463 justitiarium rursus tangit

eiusque officium i. e. ministrorum societatem v. 1466 et mali originem repetit a funambulo quodam v. 1471:

Hos aulae mores funambulus intulit ille,
Qui, quod praesumit, lege tuetur avi.

Ego quidem funambuli nomen intellexeram de homine sordido et scurrili, qualis a Juvenali describitur II, 77:

„Augur, *schoenobates*, medicus, magus: omnia novit.“

et XIV, 266:

„quique solet rectum descendere funem.“.

Sed Lappenbergius monuit, de militibus illis, qui Antiochia subito impugnata funis ope muris delabentes effugerant, hoc vocabulum illo tempore fuisse in usu, imprimis de Guilelmo illo, qui faber lignarius est cognominatus, ignavia infami. Cf. Lappenberg Gesch. v. Engl. II, p. 223. Quaerendum igitur, utrum ex Guilelmi vel aliorum militum, qui tum ignave fugerant, posteris aliquis, an alius quidam eodem vitio insignis fortasse, qui ecclesiae partes reliquerat, indicetur. Lex avi, qua tueri dicitur, quod praesumsit, cum de jure intelligendum, ad jura ab Henrico I data pertinere si mihi recte videtur, funambulus ipse rex est Henricus II, quippe qui semper ad avi leges et consuetudines provocaret et quamvis prius rem ecclesiae contra Stephanum defendisset, postea rex factus proderet. Sed etiam Stephanus intelligi potest, qui antea pravitatum auctor est appellatus, cum Guilelmi nepos, ut ille, vi regnum occupavisset. Cancellarii simulatione denuo laudata v. 1475 — 1484 veretur, ne frustretur hic labor, majorem enim esse corruptionem, quam quae facile corrigatur, 1485 — 1494. Difficiliora vel audaciora sunt verba versus 1495, quo auctor ad semet ipsum convertitur. Libertate dicendi, qua utitur, perpensa veretur, ne garrulitate sua sibi pericula paret. Plurimi enim, inquit v. 1499, sunt inimici, iique nugatores i. e. qui inscitiam suam nugis celare student, tyranni i. e. rex regisque ministri, falsi philosophi, i. e. magistri illi scholastici, quos et Policratico et hoc ipso carmine impugnaverat, ganeones et helluones, qui epulas lautiores nimium sectantes studia et officia negligebant, scurrae, quos cachethes i. e. mala cupido scribendi et loquendi agitabat i. e.

qui scribebant et loquebantur, non ut verum quaererent, sed vanam acuminis vel subtilitatis laudem captarent vel sua commoda defenderent, omnes denique pravi et levioris animi homines.

Verbum *cachethes* v. 1501 e Juvenale Sat. VII, v. 52 depromptum est, ubi hodie quoque multi codices manuscripti exhibent cachethes, quod a Johanne acceptum esse metri ratio docet, quamquam vera lectio est *cacoethes:*

„ tenet insanabile multos
Scribendi cacoethes."

Intelligit auctor, sibi veritatis assertori decedendum esse ab aula, quamquam cancellario fruatur amico, v. 1503—1514. Sed veretur, ne ipse cancellarius aulicis cedendo et jure humano observando legem divinam negligat, quare et ipsum monendum ducit, ut hanc servare studeat. Verba versus 1515 rursus Juvenali debentur apud quem Sat. III, 122 leguntur:

„Nam quum facilem stillavit in aurem."

A versu 1523 usque ad v. 1530 cum persequitur juris humani et divini discrimen, Anacharsis querelam repetit de humani juris in aequalitate. Eandem sententiam eadem ratione expressit Policr. VII, 20: „Nullas leges credunt civilibus praeferendas. Has Anacharsis Scytha telis araneae comparavit, quae muscas et culices detinent, sed volatilia transmittunt grandiora. Sic et jura civilia humiliorum reprimunt voluntates, sed profecto potentioribus cedunt." Anacharsis dictum servavit Valerius Maximus, VII, 2, 9.

V. 1531 — 1636.

DE UNIVERSITATIS OXONIENSIS HOSPITIIS.

Locus, qui sequitur a v. 1531 usque ad v. 1636 de hospitiis, ita me vexatum tenuit, ut quo studiosius in eum inquirerem, eo intricatior et impeditior videretur. Cum patronum valere jubeat ad

iter suscipiendum se accingens, quisque primum de diversoriis et canponibus cogitaverit; sed ubi tanta cauponum in divertentes esse potest potestas? quid sectae (v. 1583) certis moribus distinctae ad canponas eiusmodi et diverticnla pertinent? Cogitavi de claustris sive monasteriis, ad quae ab aula relegatns se recepisset; sed quae monachorum secta (v. 1565) vel ordo clericos aspernari poterat? Minus etiam de amicorum et divitum liberalitate locus intelligi poterat; hospitibus enim domicilium et victum liberaliter praebentibus avaritia et nescio qnae perfidia objici non potest. Frustra etiam reconditam qnandam vocabuli *hospitium* significationem quaesivi. Itaqne quod saepius legendo in mentem veuerat, arripui et quamvis me non omnes difficultates et dubla solvisse gloriar, tamen hoc tenni, hospitia esse intelligenda universitatis Oxoniensis, ad quae diverterent, qui ibi litteris navare vellent. Subit quidem mirari, hoc loco studiorum nullam fieri mentionem; at huic poematis parti propositum erat de morum pravitate queri, de litteris vero Oxoniae male cultis initio jam conquestns erat. At, opponat aliquis, cur consilio proficiscendi capto potius de moribus studiosorum et hospitum, apud quos deverterat, quam de itineris periculis agit? Sed naturalis rerum vel cogitationum nexns hac carminis parte auctorem ad rerum conditionem tnm Oxoniae obtinentem ducit. Cancellario patrono suo consilium largitus postquam valedixerat, meminit elus gratia ubique se fore tntum. Hoc meditatus, neque se usquam minns tutum esse quam Oxoniae, ubi nunc versatur, consilium capit proficiscendi Cantiam, qno a Theobaldo invitatus erat. Quo in consilio nt se firmaret a v. 1533 usque ad v. 1596, quae incommoda Oxoniae sibi patienda sint et, praeceptis quibusdam insertis, quo modo hospitibus sit utendum, 1597—1624, quibus rebus ad iter instituendum sibi opns sit, perpendit v. 1625—1634. Deinde consilio repetito Cantuariam redeundi, quibus commodis, quornm virorum doctrina et comitate insigninm consuetndine ibi fructurus sit, adumbratur v. 1635—1682. Sed neque tacet, ibi quoque pravos esse homines, a quibus caveudum v. 1683—1752.

Si quis nihilominns dnbitat, an universitatis Oxoniensis horspitia intelligenda sint, etiam haec velim perpendat. Diverticnla

peregrinantibus instituta sive hominum privatorum sive publica intelligi omnino non possunt; de certis enim personis et institutionibus, quarum accuratam habet notitiam antequam ingressus est viam, sermo est, quae in eadem regione vel urbe fuerint oportet, siquidem auctori licuisse videtur quamlibet eorum eligere, v. 1585 sqq. Oxoniae vero hunc libellum esse compositum, cum demonstraverim, etiam haec hospitia, quorum uno ipse exceptus viveret ante iter susceptum, non alibi fuisse sequitur. Ita si recte disputavi, universitatis Oxoniensis historia non minimum lucis inde accipiet, si contigerit singula recte interpretari, id quod facillimum non est, quia cetera quae de hac aetate memoriae prodita sunt, inde potius lucem exspectant, quam huic loco praebent.

Hospitia sunt magna illa aedificia Oxoniae antiquissimo fortasse Alfredi tempore in magistrorum et scholarium usum aedificata, quae, Anglia a Danis et a Normannis saepius expugnata, deinde Guilelmo Angliam occupante, in privatorum hominum dominium perveneruut, ab iisque postea magistris et scholaribus locabautur. Huber die Engl. Univers. Vol. I, 64. 73. 85. Ita apud Johannem de Janua s. h. v. „Hospitium vero scolarium est, sed domus est burgensis, qui eam locat.“ Qui eos locabant domini, nuncupabantur *hospites*, ut monumenta ex illa aetate servata docent, (V. II. Huber V. I p. 224.) et principales vel praesides hospitii s. aulae (Wood p. 48 et p. 108). Locabant vero aut ipsis juvenibus litterarum studiosis aut magistris, qui rursus studiosos hospitio recipiebant, ideoque et ipsi hospites appellati sunt. Hospites vero vocantur etiam litterarum studiosi et magistri, qui habitationem conducebant; et hospites quidem peregrini, qui non diu morantur, quibus v. 1535 illi hospites insidiari dicuntur, sunt, opinor, scholares et magistri, qui domicilia in breve temporis spatium conduxerant. Quae hoc loco notatur hospitum perfidia et avaritia, de iis quidem aliud etiam documentum memoriae proditum est; regiis enim decretis prohibiti sunt, ne majora pretia exigerent, Huber I. p. 224. Prava illa avaritia ducti hospites domicilia locantes, ut studiosos rebus et mantica i. e. supellectile privarent, eos turpitudinis insimulabant testesque adhibebant falsos. Testes

falsos nominibus significat Bavii, qui v. 1581 redit, apud Serv. ad Virgil. Georg. I, 210. et Ecl. III, 90, mali poetæ fama insignis, et Dolonis, speculatoris illius Trojani ab Ulysse et Diomede snperati, quem Virgilins Aen. XII, 347 celebrat (ubi Servius eins historiam fusins persequitur), Ovidius vero ut imbellem ab Ajace notari facit, Metam. XIII, 98. Cf. Hom. Il. X.374. sqq. Neqne tamen omnes hospites his vitiis laborarnnt, sed erant etiam, qui honeste et liberaliter se gererent erga hospites domicilia conducentes (v. 1543—46). Videmns, hospitibus fuisse disciplinam quandam vel officinm, ut mores scholarium observarent. Cf. Huber I. p. 224.

A v. 1547 usque ad 1558 singnlare hospitiorum genus persequitur, qnod domns venerandae titulum prae se ferebat, quamquam non quaeqne domns, quae hunc titnlnm praetendat, meritis snis etiam vere veneranda sit. Venerandae domus singularem et definitam esse significationem, etiam v. 1553 docet. Ejusdem vocabnli (venerandus) exemplum non reperi, sed cognata vox (venerabilis) de piis et ecclesiasticis institutis sæpius legitur, inprimis de monachis, e. g. *vita venerabilis* est monastica professio, et ipse monachns vocatur *venerabilis*. Domus venerabilis ipsum est hospitium liberum seu xenodochium in Ch. Henrici IV imp. a. 1118 ap. Murat. Ant. Jtal. t. III. p. 579; vide Glossarinm mannale ad script. med. et inf. Lat. s. h. v. De hospitio vero libero pietati consecrato etiam hic cogitandnm esse v. 1554 et 1593 ostendnnt, quo sensu etiam vocabulum hospitii tum vulgare fuit. Cf. Dufresne s. h. v. Hospitinm vero Academicorum Oxoniae etiam *Domus* nominabatur. Wood I, p. 108. Jtaque hospitinm est intelligendum, quod, si non solos, certe prae ceteris clericos vel eos, qui ecclesiae ministerio se dare constituerant, recipiebat. Quod deinde hnius generis sequitur exemplnm, hospitium, cui præest Cariuus, opiuor, illud ipsum est, ubi refugium invenerat Johannes, ut v. 1588 docet. Carinus vel Charinus in Terentii Andria adolescentis honestum amorem persequentis, in Plauti Pseudolo liberalis amici partes agit. Carinus vero apud Martialem VIII, 61, nbi certe neque orthographia diversa est, homo est, qui livore rumpitur, qnibus moribus hospitem suum esse hoc nomine auctor indicat. Qni deinde mores

10

honestos simulare, sed sceleratissime vivere dicuntur, Cacius vel Catius et Corydon et ipsi hospitiorum sunt magistri, sed eorum, quae mundanos tantum recipiebant vel, quia omnes scholares clericorum nomine utebantur, eos, qui quasi clerici nuncupabantur, Huber I, p. 96. Hospitiorum vero incolas non clericos vel mundanos, qui hoc loco superbire et clericis se meliores haberi voluisse dicuntur, ante ordines Dominicanorum et Franciscanorum institutos saepius cum clericis inisse certamen vel eos aspernatos esse, Wood tradidit ad a. 1111, Vol I, p. 48 his verbis: „Gaymundus Ecclesiae Sanctae Frideswytae patronus exturbatis secularibus conjugatis cœlibes (ex Academicorum praecipue numero) in eorum locum cooptavit." Ad a 1129: „Caeterum ejectio illa, quam praediximus, secularium controversiae videtur imputanda, inter seculares monachosque seu regulares Oxoniae Lutetiaeque coortae de sodalitii nimirum utriusque dignitate collisos. A clericis secularibus [qui hic clericis opponuntur] Theobaldus Stampensis Magister Oxoniensis et aulae [i. e. hospitii] alicuius praeses, qui libellum edidit contra regulares." Vita communis, cuius ipsa nomina seculares illi v. 1565 abhorrere dicuntur, est regularis monachorum. Superbiam eorum, quae non nisi vestibus elegantioribus et epulis, quibus glorientur, lautioribus nitatur, et vanam et inanem esse docet, quod iidem opifices utrisque parent victum et vestem, eadem ovis materiam, qua vestis fabricetur. Sed non luxuriosius tantum hosce seculares vivere refert, sed etiam liberius vel adeo libidinose. Quod Venerem illicitam exercerent scholares, sæpius viros gravissimos queri audimus. Neque seculares tantum, sed etiam clericos et monachos vel magistros saltem libidini se dedisse auctor noster queritur v. 1594—1596. Videmus mores, quos Huberus seculo decimo tertio pravos fuisse ostendit, jam seculo duodecimo non meliores fuisse. Cf. Huber I, p. 226.

Fabio rursus et Catoni, ut viris antiquæ fidei et simplicitatis (Juv. VII, 95, II, 40), opponuntur eiusmodi aularum magistri, Catii et Corydonis nomine insigniti, quorum Corydonem etiam Ep. 82 nominat. Catius erat Epicureus, qui (Cic. ad Fam. XV, 16.) εἴδωλα illa Epicuri spectra nominabat, quare hoc nomine speciem et simulationem indicari suspicor, simul autem astutiam, quia vocis radice

(catus) mentis acumen significatur. Corydonis nomine non simplicem hominem, ut apud Juv. IX, 102, sed Virgilii Eclog. II exemplo hominem amore dementem iudicari opinor.

Qui deinde adumbrantur hospitiorum præsides Bavius et Mævius, inducuntur ipsis nominibus ut male docti, vani et arrogantes, ad reprehendendum propensiores. Ad vers. 90 Ecl. III Virgilii:

„Qui Bavium non odit, amet tua carmina, Maevi",

Servius adnotat: „Pro pœna ei continget, ut diligat Mævium peiorem poetam. Nam Mævius et Bavius pessimi fuerunt poetæ inimici tam Horatii, quam Virgilii." Cf. Serv. ad Georg. I, 210. Horat. Ep. X Maevii nomine malum poatam ceterum hominem innocentem significat; Martialis X, 76.

Auctor si Oxoniae inter universitatis socios aliquamdiu vixit, quærendum, utrum magistri an scholaris partes egerit, quod quidem non parvi est momenti ad carminis nostri locum recte intelligendum. Parisiis quidem quatuor annis post velut scholaris vixit. Ipse enim Thomæ archiepiscopo scribit (Bouq. XVI, ep. 17, p. 508): „Sic ergo discessi instructus a vobis, ut Parisiis sedam figerem et me studerem omnino scholaribus conformare." Primo quidem credidi, e nostro loco apparere, eum etiam Oxoniae scholarium ratione vixisse inter pauperes fortasse scholaras receptum, quos quidem in Collegio Scti Georgii ad castellum vixisse scimus; Wood ad a. 1120; Huber I, p. 73 et 85. Sed si scholaris fuisset, quid aemulationis ei intercessisset cum magistris et hospitiorum præsidibus? Na quid nomini tribuera videar magistri (ipse enim magister ab aliis appellatur et cognominatur Ep. 19. (149.) Bouq. XVI, p. 509), ad Metalogicum provoco, cuius Prologus nos docet auctorem Oxoniæ cum professoribus et magistris disputasse et hisce disputationibus eorum simultatam excitasse, idque eo minus dubitandum, siquidem ex aliis Metalogici locis constat, eum jam, cum primo Oxoniæ moraretur, non modo in litteras incubuisse aliosque audisse, sed magistri et honorem esse assecutum et officiis esse functum. Ipse enim refert, se in patriam redisse, ut officium docentis aggrederetur, Met. II. 10. Johannes noster Oxoniæ a collegio quodam magistrorum, qui præside et dispensante Carino communam vitam agebant, qualis a Hubero I,

p. 139 describitur, hospitio est exceptus, ita quidem, ut non omnia quidem gratis acciperet, beneficiis tamen affectus gratias deberet cum ceteris sociis, tum præsidi. Magistri omnes ibi sunt clerici aut monachi, sed vitam agunt dissolutam neque ea sunt liberalitate, qua exspectaverat. Mores eius illi cum severiores reperiant ipsumque in disputando sibi omnino adversarium, eum odisse cœperunt, inprimis præses hospitii, qui fortasse minus lucri inde fecerat, quam speraverat, præsertim cum Johannes fortasse non largiore pecunia esset instructus, ut multa non nisi sua fide emeret, aes alienum contrahere coactus, quo quidem semper eum exsulem laborare videmus. Ep. 17 Bouq. XVI. p. 505.

Videmus igitur non parvum numerum Oxoniæ fuisse aularum seu hospitiorum, eorumque duo inprimis fuisse genera, altera in quibus non nisi clerici viverent, altera, quibus seculares vel quasi clerici juri fortasse et medicinæ operam navantes, qui liberiore vita, lautiore victu vestituque distincti, clericis se præstantiores vel nobiliores haberi volebant, v. 1565 sqq.

Cuiusque vero hospitii socii, ut communem hospitem et praesidem habebant, disciplinae, fortasse etiam doctrinæ communione, clerici praeterea eadem victus et vestitus ratione sectam quandam efficiebant, v. 1566 et 1583. Magistri, qui hospitio recepti erant, si contra societatis leges peccassent, præsidi accusandi jus vel officium erat, et illi supellectile suo mulctari poterant, v. 1535 sqq. Præses hospitii etiam dispensator est, qui pro penu administranda certa emolumenta habebat. Utroque jure, si pravus erat, quales tum plures fuisse dicuntur, facile abuti potuit. Non modo socii quo ditiores, eo gratiores erant, quamvis non suam, sed publicam pecuniam sibi commissam consumerent, v. 1592, sed pauperes omnino contemnebantur (v. 1538.) a sociis, quippe qui non probe viventes judicium eorum verebantur severius et ægre ferebant, eos minus ad communem victum conferentes eodem frui. Praesides vero peregrinis magistris etiam insidiabantur, eorumque sermones observabant, ut quasi injuriae convicti rebus suis privati discedere cogerentur, quo in conatu a sociorum vanis testimoniis adjuvabantur. Quae quidem vitia v. 1623—24 comprehendit, ubi mendaces, bibulos, helluones, quibus venter est deus, fures, qui

Lavernam colnnt, (Acron ad Hor. Ep. I, 16, 60) fugiendos monet. Itaque pauperibus et peregrinis magistris suadet, ut quam modestissime se gerant et moderate nec luxuriosius vivant et omnino optimos servent mores.

Stultus dum vituperatur, quod in proprio parcus sit, ex alieno prodigus, cnm Chaerea comparatur, quod liberalitatis lande careat, quam captat. Chaerea vero Terentianus ille est, qui servo gloriatur Eun. II. 3. 17:

„Cum in cellulam ad te patris penum omnem congerebam clanculum."

Cum aularum et magistrornm, qui eas habebant, et certaminum, quae inter eos erant, mentio fiat, mirandum fortasse, quod nationum, in quas discedebant litterarum studiosi, discrimen et simultates non memoravit. Sed etsi Parisiis jam Henrico II regnante magistrornm factiones nationum nomiuibus fuisse distinctas constat (Meiners Gesch. der Univ. I, p. 31), Oxoniae similem universitatis conditionem fuisse, testimonium antiquissimum seculo fere post reperitur apud Wood a. 1282. I, et apud Huber I, 141, quamquam sectae illae, qnae hic v. 1584 sæpius alia aliam videre dicuntur, arctiore quodam vinculo conjunctae eiusmodi societatem efficere potuerunt.

Iure etiam aliquis quaerat, quomodo factum sit, ut, si sectam recte de magistris interpretatus sim, scholarium nulla ratio habeatur. Sed si perpenderis, quae jam disputavimus, dubium esse non potest, sectis etiam scholares contineri, cum, ut Parisiis, non primas partes agerent, sed magistrorum ordines sequerentur. Quod denique ad clientes attinet, famuli snnt intelligendi, quorum qui v. 1546 memoratur, communis hospitii famulus, qui v. 1604 et 1627, auctori proprius videtnr fuisse. Cf. Huber I, p. 110. 225. 233.

Non me fugit, quot quantaeqne supersint difficnltates etiam solvendae, cum praesertim inde a versn 1625 aperte de itinere sit sermo. Itaque celare nolo, Herbstium interpretationi meae esse adversatum totam hanc carminis partem de itinere suscipiendo intelligentem. Diversa enim statuit respici hospitia sive deversoria et hospitum publicornm et privatorum et piae hospitalitati consecrata (xenodochia), nominibus vero propriis non certas significari personas, sed hospitum genera, quae etiam sectae nuncuparentnr, in

nominum denique interpretatione non tam veternm scriptorum locos quam etymologiam esse consulendam, e. g. Cacium a κακός esse malevolum, Carinum a *carere* vel *carinare* convicianteam. Quae vv. 1535—42 de hospitum furtis et calumniis proferuntur, hanc interpretationem non magis firmant, quam meam. Versus autem 1565 et 66, etiamsi cum Herbstio *vitae communis nomina* non de vita monastica, sed de vitae quotidianae consuetudine accipiam, non minus de scholaribus et magistris secularibus valent, qnam de hospitum qnorundam privatorum eorumque nobilium moribus. Neque negaverim vv. 1553 et 1588 secundam verbi personam tam de quocunque, ut amicus adversarius flagitat, peregrinatore, quam de auctore posse accipi; minus tamen concedam, v. 1593 novum describi genns hospitum Carino contrarium eorum, qui divites et formosos peregrinatores aspernentur et meretrices peregrinas excipere malint. Tum saltem hic de hospitibus privatis esset cogitandum, Carinus vero, qui pecnlatus reos excipere dicatur, pro caupone habendus. De pecnlatn enim intelligit v. 1592 Herbstius. Ego vero cogitaverim de litterarum studiosis, qui beneficia vel praebendarum reditus, fortasse etiam monasterii vel civitatis pecuniam ipsis commissam cupiditatibus abrepti diffundant. Eosdem agnosco v. 1593 sqq. in Carini hospitio cnm Johanne nostro commorantes, qui et sumptus metuere dicuntur i. e. impensam pauperi amico peregrinanti praestandam, et faciem eins i. e. adspectum vereri, ne ille dissolutam ipsorum animadverteret vitam. Peregrina illis magis placet meretrix, opinor, quia aliis minus cognita ideoque et fidelior erit et difficilius prodet morum pravitatem. Nihilominus circumspectis rebus omnibus rationibusque subductis dubius fere haereo, utram interpretationem praeferam: argumentum, quo lis dirimatur, firmum non reperi.

V. 1637 — 1752.

MORES EORUM, QUIBUSCUM CANTUARIAE VIVENDUM EST.

Cantiam redeundi consilio capto, eorum, quibuscum ibi vivet, mores depingit. In claustro domicilium habiturus diversos monachorum mores adumbrat v. 1644—66, ubi nihil interprete eget, nisi si quid veterum scriptorum locum respicit. Scriptorum veterum contemptores v. 1647—48 adumbrat non quidem verbis, sed sententiis Persii, qui Satiram quintam his versibus claudit 189—191:

„Dixeris haec inter varicosos centuriones,
Continuo crassum ridet Vulfenius ingens
Et centum Graecos curto centusse licetur."

Accedit auctor quodammodo ad dictionem fere proverbialem, quam Herbstius suppeditavit, apud Ciceronem quae exstat ad Fam. V. 10: „Simius, non semissis homo, contra me arma tulit;" Sed e codicis Londinensis lectione v. 1648 *(cetussem)* si restituimus *centussem*, auctor etiam accuratius expressit Persium. Avari imagine depicta eum praedicat ceteris nequiorem, qui maximae liberalitatis, qualis fuit in Gillia Agrigentino apud Valerium Maximum, IV. 8. 2, speciem simulat, sed sordidissimus est, ut Demea in Terentii Adelphis. Sed ut hominis falsi, qui aliud clausum in pectore, aliud promtum in lingua habet, mores accuratius adumbret, exemplum etiam addit hominis, qui etsi omni caret religione, ut Flaminius ille, qui rerum futurarum signa cum magna reipublicae clade neglexit (Cic. Div. I, 35.), tamen Numae regis religionem et pietatem simulat.

Quos jam recenset amicos, ii nobis ex eius epistolis sunt noti, Brito et Odo. Guilielmus Brito, ad quem plures exstant auctoris epistolae, claustri, quod, ut Lappenbergius docuit, Cantuariae Sctae Trinitati sacratum erat, fuit subprior; Max. Bibl. Patr. XXIII. Ep. 196. 210. 238. Brito si v. 1682 probare dicitur, quod auctor luserat, hoc exemplo affirmatum invenimus in Ep. 81, in qua Petro Blesensi jocose nuntiat, se invito Policraticum descriptum esse a Britone. Eum si non amare dicuntur Balathro et Davus i. e. homines levioris animi, Pamphilus i. e. amore captus, agnoscen-

dum, severissime Britonem custodivisse, ut morum integritas in ipsius claustro servaretur. Non est, qnod dicam, Davi et Pamphili personas e Terentii Andria esse depromptas, Balathronem ex Horatii Satiris innotuisse. Odo, quem auctor hoc loco magis etiam videtur laudare, quem ep. 138 prae ceteris salutari jubet, ad quem scripta est Epist. 138 (Max. Bibl. Patr. XXIII p. 516), eiusdem claustri fuit prior. Exstat eius ad Papam epistola, qua nuntiat, quis Thomæ interfecti loco archiepiscopns sit creatus. Severior etiam quam Brito inprimis in homines Veneri deditos fuit, siquidem Eumolpus, Encolpius et Gitto, ut homines maxime libidinosi et immundi in Petronii Satirico infames, ei opponuntur, ne quid de ipsa Venere eiusque sponso Adonide dicam.

Qui jam fictis nominibus perstringnntur, eos agnoscere difficillimum est, quia notitiam nostram fere fugit, quot et quae officia habuerit archiepiscopi aula, et qui singula munera administraverint. Sufficiat igitur plerumque indicare, quos mores significent nomina; interdum suspicari licebit, qnos honores, quas dignitates, quae munera homines habuerint, rarius etiam, ad quas personas pertineat vituperatio.

Quos duos primum perstringit, Plautinus Querolus et Zoilus inter monachos vel claustri ministros videntur quaerendi. De comœdia *Querolus* vel *Aulularia* inscripta, quam illo jam tempore Plauti nomine esse venditatam v. 1683 docet, ad v. 1363 dixi. „Querolus iste noster, inquit ipse comoediae auctor in prologo, omnibus est molestus, ipsi, si fas est, Deo, homo ridicule iracundus, itaque ridendus magis. Disserere cum isto volupe est et confutare vanam hominum licentiam.“ Auctor noster Querolum, qualis etiam in comoedia apparet, avarum et rapacem vel invidum depingit. Ipsi parasito, quem, ut Cicero, Terentiani illius in Eunucho nomine Gnathonis nuncupat, locum invident volones. Magis etiam invidia laborat Zoilus et ipse avarus, qui fidei et parsimoniae specie domini fiduciam sibi paravit, quo tutius furari posset. Satis notus est illius grammatici in Homero recensendo livor, qui in proverbium transiit, Ovid. Rem. Amor. v. 365:

Ingenium magni detrectat livor Homeri,
Quisquis es, ex illo, Zoile, nomen habes.

Cf. Mart. II, 16; III, 29; IV, 77. Utrumque et Querolum et Zoilum in reditibus et expensis claustri administrandis occupatum fuisse suspicandum, quamquam ultimi, qui de utrovis agunt, versus, si accuratiorem, qua indigent, interpretationem nacti fuerint, accuratiorem fortasse praebebunt notitiam.

Qui sequuntur Mato, Euphorbus, Baccara, Davus, Sergiolus, Thersites jam non ad claustrum, sed ad alias partes aulae archiepiscopalis et institutorum sacrorum videntur pertinere. Difficillimus est locus, qui de Matone agit. Ut a nomine incipiam, Mato vel Matho ex Juvenali I, 33; VII, 129, et Martiali IV, 80 et 81, aliunde satis notus est causidicus, qui nunc magnificentia quadam oculos hominum in se convertere studet, nunc vehementius declamat, nunc impudicitia, nunc paupertate, nunc vanitate insignis. Matonis nomine hic quoque jurisconsultum latere, non est quod dubitemus. Sed qui sunt auditores? qui clientes? quid ad Matonem? quae denique domus? Difficillimus intellectu primus jam versus, e quo cetera pendent. Qui sunt famuli? quae aula? quid est *cessisse?* mens illa plena dolis et mala lingua, estne Matonis an auditorum? qua ratione auditores pertinent ad Matonem? Ubi certa dare non possumus, ad conjecturam fugere liceat. Aulam esse non regiam suspicor, sed archiepiscopalem; cf. v. 1726. Famuli et clientes sunt homines, opinor, inferioris ordinis, sive opus rusticum faciunt, sive in monasteriis aliisque domibus publicis et privatis ea suppeditant, quae ad victum cultumque pertinent, qui accusantur a calumniatoribus et condemnantur ab auditoribus i. e. judicibus dolosis et credulis. Hanc conjecturam suppeditavit alius locus ipsius Johannis nostri, qui legitur in epistola ad magistrum Gerardum Puellam (Max. Bibl. Patr. XXIII, ep. 285, Bouq. XVI, ep. 88.), ubi de Gaufrido Ridel archidiacono tum excommunicato anno 1170 scribit: „Nam nec in minus perito tantus facilis esset excessus, nedum in illo, cuius non modo doctrina, sed et vita debet auditoribus esse virtutis exemplar.“ Ubi non de archidiacono concionante iisque, qui eum audiunt, sermo est, sed de archidiacono judicia regente, quae administrant auditores. Fortasse ad hunc ipsum archidiaconum locus noster pertinet. Ab hominibus nequissimis quemque

domo i. e. claustro vel quocunque alio beneficio (praebenda, quam vocant) expelli cum queritur, Persii rursus verba mutuatur e Sat. V, 76:

„Hic Dama est, non trassis agaso,

„Vappa et lippus et in tenui farragine mendax."

Tressis agaso i. e. homo nequam qui v. 1703 vocatur, non alius est, opinor, nisi Mato, qui v. 1707 vilis, v. 1710 garrulus cognominatur. Dominus ille male sanus et excors v. 1711 videtur esse, qui non satis fortiter ragit domum, qua etiam praedia significari suspicor in archiepiscopi jurisdictione sita. Dominus, si calumniis resistit, est rectoris nomine dignus, si non, ciniflonis convicio notatur. Cf. Hor. Serm. I, 2, 98. Iidem judices fures et stelliones, qui claustra aliaque instituta pia opibus privant, tueri arguuntur v. 1717—18. Inprimis vero Cantuariae invidia homines laborare, v. 1720—28 significant. De hisce enim criminibus etsi in universum agitur, vix tamen alia causa esse potest, cur hic inserantur, nisi ad beneficiorum sacrorum administrationem pertineant.

Euphorbum v. 1729 sqq. officialem archiepiscopi esse sicuti Baccaram, Davum, Thersitem, conjiciendum est propter auctoritatem, quam poeta iis tribuit. Euphorbus quidem si loquacitate et maledicentia simultates excitasse dicitur, ut neque, qui domum privatam habitant, neque monachi, qui claustra obtinent, neque canonici, quorum aedificia curiae nuncupantur, pacem et quietem habeant (v. 1733, 34), eum munere functum esse oportet, quod ad omnes fere Cantuariae incolas pertineat. An forte de vicario archidiaconi cogitandum? Cur homini maledico nomen dederit Euphorbi, herois illius ab Agamemnone occisi (Ovid. Met. XV, 160; Gell. IV, 11), cuius in corpore se fuisse Pythagoras gloriabatur, non dixerim, nisi Horatius ansam dederit, hoc nomine Ennii gloriam perstringens, ut codices nonnulli exhibent, Epist. II. 1. 50.

„Ennius et sapiens Euphorbus et alter Homerus."

De Baccara quid conjiciam non habeam, nisi quod divitem et sordidum eum fuisse oportet. Nomen et mores suppeditavit Martialis Ep. VII, 91:

Si quid opus fuerit, scis me non esse rogandum,

Bis nobis dicis, Bacchara, terque die.

Appellat rigida tristis me voce Secundus:
Audis, sed nescis, Bacchara, quid sit opus.
Pensio te coram petitur clareque palamque,
Audis, sed nescis, Baccbara, quid sit opus.

Davi nomen ex comoedia satis notum etiam Persio Sat. V, 168 de homine astuto et ridiculo usitatum; quem hic significet, non magis effici potest, quam qui sub Sergioli nomine lateat. Apud Juvenalem VI, 105:

„Nam Sergiolus jam radere guttur
„Coeperat et secto requiem sperare lacerto;"

Sergiolus appellatur gladiator Sergius, qui barbam radere jam coeperat, ideoque vir factus etiam juvenis videri volebat, et ne ad ludos amplius adhiberi posset, lacerti nervos persecuerat. Amabat eum senatoris vxor marito derelicto. Hic scaevam promittere dicitur i. e. angurium idque malum. "Scaeva res," inquit Paulus de Verb. sign. s. b. v. „dicitur mala; σκαῖον enim Graece sinistrum dicitur." Fortasse auctor simul respexit ad rem turpiculam, quae pueris in collo suspensa scaevula appellabatur. Varro Ling. Lat. VII, 97. Homo igitur ille, qui impudicitiam prae se ferebat, brevi jam tempore malitia et cupidine insignis erit ut Sardanapalus, Juv. X, 362. Sed si ponimus Scaevae nomen depromptum esse ex Horat. Epist. I. 17, rectius poeta intelligitur docens, quam facile homo otiosus et segnis, qualis Scaeva, fiat mollis et libidinosus, ut Sardanapalus. Ceterum, ut Bernays monuit, si auctori ob mentem versabatur Scaeva ille, quem Caesar B. C. III, 53 laudat, Sardanapalus ille ignavus opponitur huic ut homini fortissimo.

Thersitae similes cum in curia i. e. archiepiscopi aula esse diserte dicantur, ab omni terrae parte, ab omni vitae genere missi, videmus, de iis esse cogitandum, qui aut vitae turbatae taedio affecti, aut postquam peccatorum, quae commiserant, eos poenituerat, sive libidinose vixerant, sive bella gesserant, sive quid clam vel vi rapuerant, in claustro et ecclesia refugium quaerebant. Ceterum rursus locum Juvenalis VIII 269—71 expressit:

„Malo, pater tibi sit Thersites, dummodo tu sis
Aeacidae similis, Vulcaniaque arma capessas,
Quam te Thersitae similem producat Achilles."

V. 1753—1852.

PERORATIO.

Jam quae priore parte tractata sunt, ad posteriorem referuntur. Pro persona i. e. pro moribus quemque tractandum vel colendum putat, sed omnes amore complectendos, quia philosopho postnlat libertatem, quo alios a vitiis revocet; qui corrigi non possint, contemnendos v. 1753 — 74. Vitiorum et virtutis pugna descripta omnem pietatem gratiae Divinae deberi docet, qua clerici eo magis indigeant, cnm facilins vincantur a superbia et fastu; nam neque magistrornm nec monachorum insignibus aliquem fieri sapientiorem v. 1775 — 1834. Animadvertendum est hoc loco probari, qnod adhuc dnbitatur, ante annum 1160 certum magistrorum habitum et solemne fuisse nomen. Quam dignitatem cum auctor habuerit (plerumqne enim magister appellatur), inter annnm 1144 et 1148 nactus, cumque non audiamus, ei novi quid contigisse, inde intelligas, hac jam aetate academicam magistri dignitatem certa ratione acquiri esse solitam, cuius ad solemnitatem etiam convivarum turba, quae v. 1826 memoratur, videtur pertinere.

Finem jam imponit libello benedicens et omnia bona et ipsi et sibi et lectori precans v. 1835—52.

FINIS.



INDEX

NOMINUM, RERUM ET VOCABULORUM.

Numeri Romani praefationem significant, numeri Arabici carminis versus et iidem addita litera p *commentariorum paginas.*

CORRIGENDA ET ADDENDA.

P. VIII. l. 23. Pro *ntercedit* legendum: *intercedit*.
n. l. 1. — *in genere* legendum: *in universum*.
n. l. 1. — *praeceptorlbus* legendum: *praeceptoribus*.
n. l. ult. — *Entwickelnng* — *Entwickelung*.
XIII. l. 3. — *auctoritete* legendum: *auctoritate*.
l. 27. — *praemittur* — *praemittitur*.
XV. l. 18. — *portinet* legendum: *pertinet*.
XVIII. l. 13. — *Lelandium* legendum: *Lelandum*.
XXI. l. 14. — *descedendum* legendum: *discedendum*.
l. 15. — *Hamburgii* — *Hamburgi*.
2. v. 31. — *nonp otuerurt* legendum: *non potuerunt*.
2. v. 38. — *Justitian* legendum: *Justiniane*.
4. l. ult. Vocabulum *quae* delendum.
5. l. ult. Pro *102* legendum: *101*.
16. v. 432. — *et* Bernays conjecit: *at*.
17. v. 443. — *que* legendum: *quae*.
21. v. 567. — *immensem* legendum: *immensum*.

P. 27. v. 748. Comma ante *poeta* est delendnm et post hanc vocem ponendnm.
40. v. 1110. Pro *male* Bernays optime conjecit *mala*.
41. v. 1127. — *vero* legendum: *veri*.
v. 1137. Arg. *cius* — *eius*.
43. v. 1183. — *qnae* — *quae*.
49. v. 1369. In fine huius versus interpunxi, differentiam proferri suspicans, qnae in tractandis pauperibus inter aulam et ecclesiam obtineret, sed melius, Bernaysio monente, post vocem *nulla* interpungitur, ut sensus sit: Diviti ecclesiae libertatem concedit nullam, divitiis vere carentem i. e. pauperem ecclesiam regis iniqua manns gravius quam pestis premit.
50. v. 1384. Pro *undiqne* legendum: *undique*.
51. in notis ad v. 1410 l. 1. Pro *Het* ante *perniciosa* post *L* legendum: *et H.*
51. v. 1412. Arg. Pro *tyarnnorum* legendum: *tyrannorum*.
52. v. 1460. Pnnctum in fine versus delendum, ut *mens sana* construatur cum *studet*.
54. v. 1498. Pro *floccida* Bernays conjecit: *flaccida*.
56. v. 1565. — *adhorrent* legendum: *abhorrent*.
56. v. 1581. Pro *benedicta* legendum: distincte *bene dicta*.
58. v. 1640. — *justitiaequae* legendum: *justitiaeque*.
69. l. 25. — *Bernhardus* — *Richardus*.
— l. 30. — *auctoritate* — *auctoritati*.
72. l. 11. — *angustia* — *angustiae*.
75. l. ult. — *Britaniam* — *Britanniam*.
91. et 95. — Flavianus ille, quem p. 95. pro ignoto habui, sine dnbio est Virins Nicomachus Flaviauns, quem gener, Symmachus filius, in marmore apud Reinesium p. 441. *historicum dissertissimum* appellat, idem, ad quem Symmachus pater omnes libri secundi epistolas scripsit, quem denique Macrobius in Saturnalibus cum Symmacho aliisque disputantem inducit. Ibi lib. I. 5. haec de eo exstant: *Flavianus quanto sit mirando viro et venusto patre praestantior, non minus ornatu morum gravitateque vitae quam copia profundae eruditionis asseruit.*" Cf. A. Beugnot, cui hanc notitiam debeo, in libro, qui est inscriptus: Histoire de la distruction du Paganisme en occident. Paris 1835 I. p. 469. Fnrvum, de quo auctor noster vv. 197 — 210 disseruit, quem non magis mihi notum esse confessns snm, eundem esse snspicor atque Flaviannm nostrum, qnia mirum esset, si eum, qnem tantis effert landibus, in ceteris scriptis nusquam attulisset. Utrum vere Furvi praenomen vel agnomen ei fuerit, an ab auctore nostro sit fictum, non qnaeram, satis est monere vocabulorum *flavus* et *furvus* significationes esse cognatas.
102. l. b. Pro *fit* legendum: *sit*.

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA NOBILINGII & HEIDRICHII.

